T. 2.

ADMIRATIONES MEDICAE,

EX DOCTRINA GALENI, Necnon & aliorum Autorum,

SCILICET,

De vſu Veſicantium promiſcuè in morbis omnibus.
De Cucurbitulis affigendis importunè.
De Venæ ſectionis omiſſione.
De Purgatione incongrua.
De Victus ratione monſtruoſa.

Autore Ioſtrerio de Ioſtrerijs Baſſanenſe, Philoſopho, & Medico Excellentiſſimo.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M D X C V I.
Apud Altobellum Salicatium.

AD ILLVSTRISS.^{MVM}
ET EXCELLENTIS.^{MVM}
EQVITEM,

DIVI MARCI PROCVRATOREM
Jacobum Foſcarenum.

IOSTRERIVS DE IOSTRERIIS
Medicus.

MOS, & conſuetudo apud illos inualuit, qui aliquid ſunt edituri, dicare labores ſuos alicui celebri viro, aut principi, tùm vt diligens lector in præfatione, tanquam in veſtibulo, habeat quem admiretur,

tùm quia volumen ipſum neſcio quid gratiæ, & venerationis ſibi vendicare videatur. Occurriſti igitur tu vir Illuſtriſſime, ac Excellentiſſime mihi ante alios, cui dicarem hanc meam lucubratiunculam, totam doctrina Galeni, non modò in ſententia, ſed in propria verborum forma laboratam, quam ſub titulo Admirationis exarauí, & nuper eam imprimendam curaui (amicis ita flagitantibus, & hortantibus) quibus obtemperare malui, & conſulere, quàm mihi. Tu igitur, qui ſemper ſtudioſorum omnium animos ad gratas vigilias accendiſti, qui de Sanctiſſima Republica Veneta benè meritus Eques, ac Diui Marci Procurator deinceps electus. Totius continentis iterum, atque iterum, & claſſis Venetæ ſecundo Imperator. Tu qui rebus bellicis, tùm maritimis, tùm terreſtribus, & opportunis artibus ingenio, & prudentia plurimum vales, & in Republica tuenda, & conſeruanda, & augenda. Noſti quoque quàm accuratè Medicus, nulli ſectæ addictus, inſtar Galeni, qui nullius ſectæ, aut partis fuit, & quàm diligentiſſime hominum ſanitatem conſeruare, & amiſſam recuperare pro viribus eius, & ex arte debeat. Nimirum

ſine

ſine vlla fallacia, aut impoſtura non lucri, aut corradendæ pecuniæ cupiditate, ſed pia quadam erga ſuos infirmos charitate. Proinde hanc meam lucubratiunculam breuibus exaratam tibi trado, ac dedico, & pro ſingulari familiaritate, qua vſus ſum Cretæ cum Clariſſimo fratre tuo Marco Antonio Foſcareno, & pro fideli tribunatus officio, quo functus eſt Hieronymus Dulcianus Iure conſultus grauiſſimus, & germanus meus, (te Veronæ Prætore) & ſubinde, cum in numero eorum qui tibi ſunt deuincti eſſe velim, deprecor pro tua erga omnes incredibili humanitate, vt ipſam ſic læta facie, & hilari vultu accipere digneris, ſicut & me ipſum offero, & ex toto corde, & ex animo liberoſq; meos omnes, omni tuæ voluntati ſemper deditiſſimos. Venetijs, M D X C V I. Die 11. Menſis Aprilis.

REVE-

REVERENDI BARTHOLOMEI LOCATELLI,

IN AVREVM EXCELLENT.^{MI} Ioſtrerij opuſculum,

CARMEN.

MORTIFEROS morbos ipſamque expellere mortem
Aegris qui cupit hæc aurea ſcripta legat.
Hinc artem medici poterunt, hinc ferre ſalutem
Aegroti, hinc ſani promere ſana ſibi.
Suſcitat hic vſum medicorum namque ſopitum
Ioſtrerius, normæ reſtituitque ſuæ.
Veſicas miſeris extrema remedia morbis
Tum ferro venas, atque cucurbitulas.
Tum reliqua hoc tandem paruo medicamina libro
Pertentare docet, viuere datque modum.

INDEX

INDEX CAPITVLORVM
QVÆ IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

DE vſu Veſicantium promiſcuè in morbis omnibus. car. 11
De Cucurbitulis affigendis importunè. 20
De Venæ ſectionis omiſſione. 27
De Purgatione incongrua. 35
De Victus ratione monſtruoſa. 52

ADMIRATIONES MEDICAE.

De vſu veſicantium promiſcuè in morbis omnibus.
De cucurbitulis affigendis importunè.
De venæ ſectionis omiſſione.
De purgatione incongrua.
De victus ratione monſtruoſa.

NARRATIO BREVIS.

CVM ab hinc viginti, & amplius annis, Venetijs diſceſſerim, in hoc reditu, vel potius reuerſione mea, factum eſt, vt nouum aliud medendi genus inuenerim, quam ob rem, magna ſum admiratione affectus, & adhuc admirari non deſino: Admiratio.

Cæterum cauſarum ignoratio in re noua fortaſſe, admirationem facit, & hoc genus medendi eſt ueſicantium vſus, à nonnullis Medicis celeberrimis inuentus, promiſcue in morbis omnibus. Et quoniam ueſicantium vſus quotidie magis inualeſcit, & vagatur apud illos, qui huic ſectæ ſe addixerunt, decreui, hæc pauca his cartis aceruatim ſcribere, & congerere, ac ſententiam meam proferre, circa vſum horum veſicantium. Et neminem latere arbitror, hoc meum eſſe inſtitutum, in hac rei medicæ commentatione, vbique quicquid paſſim, in Galeni libris inuenerim, non modo vocare libros, & capitula, in ſententia, ſed etiam in propria verborum forma, & quantum in me eſt, hiſtorico genere, & cum maxima progredi admiratione, & ſermonem perpetuare, de vna re in alteram, quemadmodum, ſeſe mihi offeret dicendi argumentum, & materia, deſſumpta à nonnullorum obſeruatione in re medica facienda. Idcirco, in capitula varia non redigam, ſed tantum in quinq; (vt patebit) congerere intendo. Conabor tamen eum ſeruare ordinem, quem potero, meliorem, & commodiorem, ſicut mihi ſuggeret occaſio. Igitur ſi calamo exarare, & collecta in opus deducenda incombo, (grandioribus tamen glebis relictis) nec ſulcos inſtar aratorum, ordine miro, ducam. Tu quoque diligentiſſime lector, quęſo, ne mireris, ſi quę ſcribo, non inuenies, ad aliquē ordinem redacta: id quod

Autoris inſtitutū

præſtare

præſtare facilè poſſem, niſi tranſitus admirationis, de vna re in alteram, mihi eſſet impedimento. Quare hoc opus veluti corpus diſtortum, ſeu contractum, gibboſumq́; vtinam, non membrorum plurium, & ita compoſitum, & breuiloquum ellucubrare ſtatuo. Illudque oſtendere varijs affectionibus correptum, ſeu correctore dignum: Et conſultò, me hoc præſtare fateor. Res enim qua de hic agitur, eſt de veſicantibus: quibus complures, & promiſcuè, & confusè vtuntur. Iccirco ad illorum imitationem, (nullo ſeruato ordine) admirabiliter, & in hunc modum perſcribo. Cæterum res aliter incedet, (Deo permittente) in commentarijs meis, de re medica edituris. Interim, parcent lectores huic meæ admirationi, ſi in aliquo defecero. (puto enim in pluribus,) in qua, de veſicantibus, de cucurbitulis, de venæ ſectione, de purgatione, ac de uictus ratione, ſcribere ſum aggreſſus, & de multis alijs. Ceterum, quoniam in curatione febris mali moris (vt plurimum) veſicantia contingunt adhibenda, hac ratione, de eſſentia huius febris malignæ, ſiue mali moris, agendum cenſeo: poſtea ad veſicantia, & ad reliqua deueniam.

Autoris expurgatio facilis.

Autoris ordo ſeruandus.

Equidem eſſentia huius febris pernitioſæ, & malignæ, eſt præter naturam caliditas, vel in totum animal effuſa, vel in pluribus, & nobiliſſimis partibus accenſa. & in hac febre, corpus non admodum incaleſcit, interius autem vritur, & laten-

ter ægrum percutit,& ipſum enecat,& occultè hominem interficit. Et caliditas huius febris differt ab alijs, propter putredinis excellentiam: Tribuit enim Galenus huic febri, excellentiam quandam putredinis. vt ait 6. Epid. comm. 1. text. 29. propter quam excellentē putredinem, eſt contagioſus morbus iſte, aliquando, non ſemper: Nam, ad hoc, vt dicatur contagioſus, multas habere debet conditiones: quarum vna eſt, vt eius putredo ſit ſummè putrida,& per excellentiam, & habita ratione materiæ, quòd ſit lenta, ac tenax, & quòd talis putredo ſit innato calori adeo inimica,& aduerſa, vt ipſe ſuccumbat,& intereat, nec reſiſtere valeat: Iccirco, Gale. 3. de præſagitione ex pulſibus. cap. 3. ait; quam medicinam excogites ad putredinem, quæ cor occupauit? ab hac etiam materia, exhallant vapores putridi, ac uenenoſi. Eſt enim morbus, motus extra naturam, vt ait Galenus primo de locis affectis. ex quo, cũ aliquod venenoſum effluat, inficit corpus, & non omne corpus, ſed illud tantùm, quod fuerit aptum ad talem ægritudinem contrahendam: requiritur enim corporis diſpoſitio, ad ægritudines certas ſuſcipiendas. vt ait Gale. primo de differentijs febrium. c. 4. agentium enim actus fiunt in patiente benè diſpoſito, vt Ariſtot. in 2. de anima, & eorum, quæ ſymbolum inter ſe habent facilis fit migratio. ut ait Ariſtoteles 1. & 2. de ortu,& interitu, text. 4. Cum igitur agens fuerit

Morbi cõtagioſi conditiones.

forte,

forte,& paſſum debile, nihil aliud remanet, niſi, vt ipſum debile adhæreat forti agenti. & hinc cogno ſcitur, quomodo ſani, adhærentes alicui laboranti morbo contagioſo, eodem, (vt plurimum) inficiantur: nullus autem infirmus adhærens ſano, ſanatur: quoniam morbus conſiſtit in quodã motu, & alteratione, à quo continuè quoddam venenoſum extra corpus effumat: & corpori ſano appropinquans, ipſum corpus corrumpit. Sanitas vero conſiſtit, in quadam quiete, quare, nihil ab ea, quod corpus alterum inficere poſſit, effumat: Iuuantur tantum ægrotantes, cum appropinquent illis ſani. & hoc ex bonitate humorum, & vaporum calidorum naturalium effumatione: præterea ægritudo accidit nolenti, & inuito. Nullus enim appetit eam, vt pote quæ ſit per ſe corruptiua, eo quòd nemo ſui corruptionem appetit: Sed, ſanitas accidit volenti, & ipſam deſideranti: & ſi amittitur, iterum recuperare ſtudet: appetitur enim, & diligitur maximè ſanitas: Cum ſit de genere bonorum laudabilium. vt Ariſtot. 1. Ethicor. adeo vt in ipſa ponat infirmus ſummam beatitudinem. Vnde videmus infirmos,& eius familiares, colere medicos, & illis multa dare, pro acquirenda ſanitate, qua tandem adepta, & recuperata, (animaduertite quæſo) omnibus in rebus, qui fuerunt ægrotantes conquieſcunt: quoniam ſanitas manet in quiete: morbus autem in motu,& alteratione.

ne. à quo,ſi aliquod venenoſum exhallat, & fuerit efficax,& æger,& appropinquantes,(modo parati ſint)in periculo degunt.Sin autem vapor non fuerit tàm efficax,æger ſanari poteſt,& appropinquãs tutus eſt: ſicuti in febribus iſtis mali moris. In quibus rarò aduenit, quòd alter ab altero, eodem afficiatur morbo, niſi morbi conſtitutio fuerit ita efficax, vt alios quoque inficere poſſit: accedente corporum illorum diſpoſitione,cum ſęua temporum,& anni conſtitutione,quę ſæpenumero ęgritudines,prauæ conſtitutionis parit. Febres autem iſtæ,quæ dicuntur male morigeratæ, non ſunt peſtilentiales,ſed ſimiles illis,& cum ſint ſimiles,pernitioſæ quoq; ſunt. Eſt enim febris peſtilens morbus vulgaris, vt plurimum interimens: vt dicebat Galen.1.epid. com.1. & primo de uictu acut. tex.9. & 3.epid.comm.3.tex.24. Videmus enim in ægrotantibus tali febre malè morigerata,virtutem animalem labefactatam, vt ex delirio, & inſtantia vigiliarum, videmus quoque virtutem vitalem aggrauatam, & oppreſſam à multitudine, & mala qualitate vaporum, cor ipſum petentium, vt ex anhelitu, & ex pulſu paruo, ac debili conijcere facilè poſſumus: videmus tandem virtutem naturalem non validam,vt ex alui deiectionibus liquidis,& putridis,& malè olentibus, ex vrinis perturbatis, & paleſcentibus, propter debilitatem caloris,non potentis regulare materiam, quæ quidem

Cur febris mali moris nõ ſit cõtagioſa.

materia adeo abundat in his corporibus, vt non poſſit natura eam regere, & gubernare. quò fit, vt ſymptomatice natura expellat huiuſmodi materiam venenoſam ad partes cutaneas. hinc exanthemata, & puſtulæ, per dorſum efflorescentes, & per alias corporis partes. Omnis autem ſymptomatica euacuatio mala; egeſtiones quoq; alui fętidæ, malum expirantes odorem, propter magnam putredinem, ac malos humores genitos, ex mala victus ratione: ex victu enim improbo venenoſæ materię fiunt. vt teſtatur Gal. 6. epid. com. 6. tex. 5. Vnde ex his generantur putredines malæ, & venenoſæ. quæ ad intra corpora operantur occultè, & ea interficiunt. vnde fiunt febres iſtæ non peſtilentiales, ſed ſimiles illis, & dicuntur febres mali moris: in his febribus accidunt aliquando tubercula ſecundum aures, vt de piſtoris ancilla aſſerit Galen. 1. epid. com. 2. text. 80. cui quamuis tubercula ſecundum aures ſuppuraſſent, nihilominus morbi cauſa cruda exiſtente, & permanente, ad intra venas interijt: Sic & in peſtilenti morbo, abſceſſus, & carbunculi fiunt, qui, licet in aliquibus ad ſuppurationem deuenerint, & concoquuntur, tamen contingit, quòd aliquando in his fiat concoctio in aliqua corporis parte, crudo toto adhuc permanente morbo; & intereunt ægrotantes. Verum, ſi eò criticè, natura expellat materiam noxiam, vt aliquando cõtingit, morbuſq; ea ratione mitigetur,

& iudicetur, cum, vel ad pus deuenerint carbunculi, vel fuerint ferro inciſi, ſcimus, & animaduertimus, facilius, ac ſecurius, nonnullos laborantes eſſe liberatos: exhibitis aliquando alijs medicamentis ad talem ægritudinem pertinentibus. in alijs accidunt vomitus, aluuſque fluit ab initio, ſi demum puſtulæ nigræ, & multæ, quæ fluxum inſequuntur, ita prçexſiccatis, & præpurgatis, toto corpore efflorescunt, conualeſcunt. Sicut acciderat nonnullis, tempore Galeni, ut ait 5. meth. cap. 12. in quibus criticè, quicquid poſt alui fluxum remáſit, id omne ad cutem terminatur, nec alio inſuper indiget æger auxilio, & medicamento. Hi autem morbi, cum diuturni ſint, criticè iudicantur: Natura quidem vincente: humores enim prius concoquit, deinde diſcernit, poſtea euacuat. hinc vidimus diuturnas alui fluxiones, & malignas tandem, per ſudores malè olentes, aut per abſceſſus putredinoſos fuiſſe iudicatas. uel per vrinas in nonnullis; & ſtrangurioſæ fiunt affectiones: vt ait Galenus 3. epid. com. 3. tex. 4. excretis enim vitioſis humoribus, in huiuſmodi febribus, per veſicam ſtrágurioſus oritur affectus, qui vno, vel duobus diebus perdurat, & ſalubris cauſa exiſtit: quem affectum ſtranguriosum, in multis, febre laborantibus obſeruaui, & in me ipſo ſemel, atque iterum: & ſalubris cauſa in omnibus ſemper extitit: At, in quibus vires validæ ſunt, noxijs humoribus eua-

cuatis,

cuatis, morbi ceſſant. in quibus uerò ſunt imbecilles, dùm noxij humores, & ſucci euacuantur, unà etiam, & ipſæ diſſoluuntur. Cęterum in febre mali moris, uel malè morigerata, tanta eſt malignitatis uis, ſeu potentia, & plenitudo, quæ totum uirium robur, ferè à principio, deijcit, ut ex pulſu paruo, debili, ac inæquali, conijcere facilè poſſumus. Vnde natura, non potens tùm copiam, tùm ſpeciem, ſeu qualitatē humorum adeo ſuſtinere, ut poſſit illos, & concoquere, diſcernere, poſtremò euacuare, conatur vti, nō iudicatorio numero, qui fit in morbis conſiſtentibus, ſed quo meliori modo poteſt, ſarcinam exonerat, ad cutem uniuerſam: & ſeruat tantum conuenientem regionem, & loca conferentia: quæ ſunt, teſte Galeno artis medicę. c. 94. inteſtiua, uenter, uterus, ueſica, & cutis uniuerſa. hæc enim cū ſit omnium corporis partiū extima, haud quaquam abſurdum uideri debet, quòd uniuerſi corporis ſuſcipiat excrementa. quandoquidem, natura humores noxios, & infeſtātes, ad partes cutaneas expellere ſumma ope nititur, neque integra eſt illa euacuatio, neq; cauſæ febris ſunt concoctæ. hinc augentur ſymptomata, dum excernuntur, & effloreſcunt puſtulæ: & fiunt ſæuiora accidentia. quoniam febres iſtæ dicuntur acriſes. Nam morborum alij ſunt conſiſtentes, alij verò non, & dicuntur acriſes. Conſiſtentes, omnes iudicatorios numeros habent. Et ſi qui horum fuerint antea

non conſiſtentes, demum facti ſint conſiſtentes, hoc fit natura vincente, & omnes ſuperfluitates expurgante. Acriſes verò fiunt, quoniam natura partim vincit, partim vincitur. Superatur autem, quando cogitur humorem noxium ante concoctionem expellere. vincit uerò, dum quod retinet, concoquit. & quando materia excernitur ad partes cutaneas, & præcipuè ad partem dorſi, maxima ibi percipitur caliditas. quoniam in dorſo adſunt venæ magnæ, & paruæ, & arteria magna. In exitu autem horum exanthematum, non poteſt natura præ humorum malignitate, ſemper iudicationes integras moliri, ſed tantum ſeruat conuenientem regionem. nimirum expellens humores peccantes ad partes cutaneas, qui numerus iudicatorius eſt ſolus, & vnicus ipſi naturæ derelictus. nempe, vt euacuet ad cutem, & quia ſignius peragit id, neque integrè, ſupplere medicum oportet, & naturam adiuuare, vt quàmprimum ipſa à tali malignitate liberetur, & exoneretur.

DE

DE VESICANTIBVS.

NONNVLLI promiſcuè in veſicantium vſum ruunt, non adhibentes mentem quibus conueniant ægritudinibus huiuſmodi veſicantia. Sed promiſcuè, & ſecundum prouerbium, vna forma calcei, omnes calceunt, cum ſine exacta morborum cognitione, curationem aggredi nemo poſſit: Nam, qui non valet diſcenere inter tertianam, & quartanam, non eſt in aliquo gradu medicinæ.

Admiror certè, quòd nonnulli medici accerſiti ad ægrotantes curandos, (vt plurimum) timent de malignitate febris. Equidem, morborum mala conſtitutio ſi viget, ſemper eſt conſideranda, & vereri eam oportet. Non enim ſunt ſine periculo iſtę febres in quibus curam, cogitationemque ſuã, bonus Medicus ponere debet, & animo agitare, & cogitatione comprehendere, vt illi, & locus affectus, & eius affectus, cum virium robore, ſit adungem perſpectus. & cognito morbo, nulla in re alia magis ſe pręſtare opus eſt, quàm eã moliri, & parare, quę ſuo ęgrotanti conducere, ex arte poſſint. & omiſſa venę ſectione, de qua inferius dicam, relicta ea, quę in brachio fit, ad ſaluatellã confugiunt. Admiratio.

Admiratio. id quod mihi admirationem mouet. vel deinceps adhibent veſicantia iſta admiranda. quę paranda omni ſtudio curant, vt affigantur brachijs, & cruribus,& in reliquis corporis partibus. quę quidem veſicantia, præterquam quod humorem noxium non extrahunt, vel tardius quàm oportet, (diſtat enim humor ille peccans,& putreſcens in venis vicinis cordi) & hac ratione extrahi difficilè poteſt, minus ſi putredo fuerit in corde, vt ait Galenus 3. de pręſagitione ex pulſibus ca.3.vbi ait, quam medicinã excogites ad putredinẽ,quę cor occupauit?

Admiratio. Equidem certè, hęc veſicantium inuentio, in hoc morbi genere,me in maximam traducit admirationem,propter multas rationes. Certum eſt, ac manifeſtum, quòd conſeruanda ſemper eſt ea,quę corpus noſtrum regit natura,vtpote quę nobis adminiculetur. Conſeruabitur autem remedijs illis, à bonis medicis, rationabiliter vſitatis, ſed vſus veſicantium eſt naturę valde moleſtus, quòd ſcilicet, tale medicamentum,cum ſit natura calidum, (veſicas enim creat vt ignis) corpus quoque ægrum magis excalfacit,& adurit febremque,& excitat, & auget iam genitam: neque trahit ad extra. Eorum enim quæ trahunt,alia calore trahere,qualitate nobis manifeſta,alia vi ſpecifica, vt magnes ſimilitudine quadam ſubſtantiæ. Et idcirco, ab ijs non quælibet trahi,ſed ſimilia tantum; vnde nimirum fit, vt magnes nihil aliud, ſed ferrum dumtaxat,

trahat: eſt enim ei perſimile. Sed in eo genere patentius; quare trahit quidem, non autem viciſſim trahitur: Theriaca, ratione trociſcorum è viperis, vim ſpecificam, contra venenum habet. non attrahendo forte, ſed expellendo: & ita extinguendum eſt venenum, ijs medicamentis, quæ habent vim non ſolum attrahendi, ſed expellendi, à centro, ad circunferentia loca. non autem è contra: quemadmodum contingit cantharidibus, quarum vis, ſeu poteſtas eſt propria, & ſpecifica, veſicam, & inſtrumenta vrinæ ſeruientia petere, illiſq; noxam inferre. Sicut accidit quoque lepori piſci, qui eſt ex genere lacertorum, pulmonem exulcerare. Vnde fit, vt ex hoc medicamento, vrinæ difficultas aliquando gignatur in compluribus: & coguntur medici ijs ægrotantibus mederi, & ſuccurrere, ijs rebus; quibus opus eſt veneno cantharidarum, vi ſua ſpecifica veſicam petentium.

Præterea facultas quoque imbecillis redditur, à duplici calore præter naturam, nimirum febrili, prompte admodum etiam, ab huiuſmodi medicamento barbarico, ac dolorifico, diſſoluitur: foras enim euocatum ſpiritum digerit, deſſiccatque corporis habitum, redditq; imbecilliorem. Vigilias quoque hoc medicamentum dolorificum inducit. eſt enim infeſtiſſima vigilia. Siccat enim totum corporis habitum, & in longis inedijs, & vigilijs, redditur bilioſior ſanguis. hinc delirium, &

inſtantia vigiliarum: quare animalis facultas non quieſcit. Naturalis pigrius agit, vitalis robur non acquirit, & de ijs quæ vires imbecilles reddere poſſunt, exiſtunt vigiliæ, dolor, & inanitio; & hæc omnia ſunt in hoc medicamento, & morbi genere, & hac ratione, ita laborantibus, vſus veſicantium moleſtus. Sunt enim iſta veſicantia adeo moleſta; vt natura ipſa, qua indiget Medicus, ex iſtis perterrita, atq; etiam vi morbi labefactata, tantum abeſt, vt noxium humorem ita remotum, & longinquum, extrudere ad partes cutaneas poſſit, vt magis retineantur ad intra venas, humores venenati neque affatim extrahuntur, ſicut oportet, & vrget neceſſitas: & hoc nomine, tardiſſimum eſt hoc genus medicamenti; quoniam ad curandum hũc morbum virtutem vitalem opprimentem, eſt quã primum procedendum. Sed ſucceſſiuè, & paulatim eo medicamento aliquid ſeroſitatis excernitur; & longiori tempore, vnde tarditatem remedij huius recentis, ac nouitij, in hoc morbi genere, tempus longum præuenire poteſt, (natura vincente): Cũ igitur iſta veſicantia ſegnius peragant, nec humores peccantes cito (vt morbus expoſtulat) (turget enim materia) euacuentur, idcirco, quã celerius aggredienda eſt curatio, alio modo quàm veſicantibus, antequam aliquod maius malum accidat: hæc enim febris, cum ſit aliarum febrium exitioſiſſima ob id, aliam curam ſolicitiorem, ac dili-

Veſicantiũ ignauia.

diligentiorem expoſtulat, quàm aliæ febres communes, in quibus curandis, alio curandi genere, & progreſſu vtimur. nimirũ, minorando ſi opus fuerit, digerendo, euacuando, ac demum eradicando. hæc enim febris negatis inducijs, obluctatur, neque ita nobiſcum paciſcitur, & rarò ad pacis cõditionem deuenit, ſed quotidie magis crebriora, ac ſæuiora fiunt ſymptomata; quare manus conſerere oportet, naturæq; opitulari; ſunt enim morbi hi acriſes. Naturæ autem auxilium præſtare medicus facilè poteſt, ſi eius motum conſiderabit. quem motum medicus ſumma cura, ac diligentia inſpicere debet in ijs, quæ rectè ab ipſa fiunt. Illam vel ſinendo, ſi perfectè, & imitando, aut ei auxiliando, ſi diminutè agat; aut eam inhibendo, ſi perperam quippiam fiat ab ea. Admiror certè, nec vlla vnquam carere poſſum admiratione, quòd nonnulli ſint ex medicis, qui veſicantia iſta, etiam deploratis, curant accommodanda: & dicunt aſtantibus, (veſicis diſcoopertis) videte queſo, quę malignitas excernitur, & breui tempore, intereunt ægrotãtes illi, cum maxima illorum, (& quod peius eſt) remedij calumnia. Admiratio.

Admiror iſta equidem certè, (me iudice) crediderim, quòd ſi hęc veſicantia applicarentur alicui, qui ſano eſt corpore, non ad pondus, nam tale nõ appræhenditur, niſi cogitatione. Sed illi ſano, quò ad iuſtitiam, ſiquidem tale corpus inueniri contingit. Admiratio.

tingit. Si inquam huic, & ſucci pleno, veſicantia iſta affigerentur, nõne ex his, maximum damnum faceret, vellem certè, vt in nonnullis, hoc fieret periculum, quibus huiuſmodi veſicantia aptari commodè poſſent: quorum electio, mihi non conceditur. Pariter & in alijs eodem temperamento, ad iudicium præditis, ſi affigerentur cucurbitulæ, hoc tantum conſilio, vt perciperetur, vter horum maiorem, vel minorem vtilitatem, pariter maiorem, vel minorem moleſtiam caperet, ex cucurbitulis, aut maius auxilium, aut detrimentum, & noxam ex veſicantibus, profectò appoſitio veſicantium, maximum illi damnum, & diutinam moleſtiam intulerit, nihil aũt boni, niſi temporis interuallo, & ſucceſſiuè: proinde cucurbitulæ attrahunt humorem peccantem, ac ferueſcentem, & redundantem, qui in profundo hęret corpore. & citiſſimum ægrotantibus auxilium portant, ſi rationabiliter adhibeantur; & opportunè; vt inferius dicam. Veſicantia ſemper in quouis corpore fuerint applicita ſeroſos humores, & cutaneos euacuant, & mala qualitate, tùm à medicamento affectos, tùm etiam ab aere ambiente, & eos humores alterante, & corrumpente. Nonnulli quoque ſunt (& eſt admiratione dignum) qui in tertiana, & quartana, quibus cõdonari aliquid fortaſſe poſſet, quinimò, etiam in pleuriticis, veſicantia curant enixè affigenda. Cum perturbatam mingi, ab ægrotantibus

Comparatio cucurbitularũ cũ veſicantibus.

Admiratio.

vrinam

vrinam viderint, & hac ratione arbitrantur febrẽ eſſe alteram per ſe, cum tamen ſeccernatur illud pus, per paucos dies, à pectore, per vrinam, rupto abſceſſu, vel in hepate, vel in pulmone, vel in membrana coſtas ſubcingente, vt patet optimis anothomicis, id quod aſſerit Galenus in .6. de locis aff. c.4. & hanc vrinam in pleuriticis, (vt plurimum) animaduertimus. in alijs quoque morbis promiſcuè, & confusè, ac temerè tranſactis quibuſdam diebus, nonnulli ſunt, qui ſuos veſicant ægrotantes, hoc nomine, vt magna moliri videantur remedia: nec aliquid prætermittatur, vnde in aliquo ipſi defeciſſe iudicentur. Et ſcire debent hi, quòd admirabilis vndequaque natura ſufficit, quandoquidem naturæ motus, ſtatutis periodis, pro ſui ratione contingit. Suos autem circuitus ſeruare prohibetur, quando medicus modò hoc, modò alterũ medicamentum, vel cataplaſma impoſuerit, vel frictiones, aut inunctiones imperarit, aut ægrotantem aduſſerit, vel veſicarit, vel nutriuerit. quare iudiciũ, ad quod natura erat parata, fieri non poteſt, quoniam natura multis de cauſis, & ex iſtis vel ſiccantibus potiſſimũ, ſeu aduſtionibus interturbatur. Conſtat enim ars medica ex tribus, ex morbo, ęgro, & medico, artis & naturæ miniſtro: ægri eſt, vna cum medico, morbo reluctari, nõ reluctabitur autem, quoniam ab his duobus committuntur peccata nimirum, & ab ægrotante, cum familiaribus, & à medicis, qui

cum velint haberi admirandi, obtemperant familiaribus; & hi tantũ abeſt ut naturę miniſtri appellatione vocentur; vt potius nomen contrariũ ipſis conueniat: quod eſt, ut naturæ, & ægrotantium hoſtes, nuncupari facile poſſint. Mortuę ſunt criſes ſanè omnes, quæ ſummo opere ab optimis medicis expectantur, ac deſiderantur, quoniam conſectanei iſti, ad veſicantia, & ad nutritoriam facultatem confugiunt: & ad quædam ſua alterantia, (vt vocant) quæ ſunt potius nutrientia, & ad multa alia, quæ ipſas criſes impedire facilè poſſunt, vt decretum ſuæ ſectæ, contentioſè confirment, & alios ét ad veſicantia ad hunc modum traducunt: & maxima cum voluptate, reuocare ſtudent. Intrepidè enim omnia profitentur, qui huiuſmodi ſectæ principatum vſurpant. Circa vero iſta veſicantia, promiſcuè ponenda, ſi oriatur, (ſæpe enim oritur) altercatio inter celeberrimos viros, tandem conſectaneus, qui ea conſulit adhibēda, illud conſilium dare fatetur, familiaribus ægrotantis; & alacri animo atteſtatur Deum, ſe id præſtare non ſecus, ac ſi ęger ille eſſet illi vel filius, vel frater, vel quiuis alius alter conſanguineus. & ſic enixe, veluti ad ſacram anchoram confugiendo, & omni ſuo conamine nauat operam, vt affigantur veſicantia, quæ in quouis morbi genere; ita audacter, & hac conditione adhibentur, vt laudem ſortiantur immortalem. Bone Deus cum ſanitatis cauſæ ſint hæ, nimirum

Ars,natura,& fortuna,vt teſtatur Galen.11.metho. cap.1.nonnulli ſunt, qui aggrediuntur curationes non arti, & electioni, ſed fortunæ potius dicatas: Cum tamen ars rarò ſuo fine fruſtretur, fortuna vero rarò ſuum finem aſſequatur. vt ait Galenus 9. de hip.& plat.decr.cap.8. At volunt fortaſſe quidam pertinaces,vt veſicantia iſta valeant,(vt dicitur) vel iure teſtamenti,vel iure legati, vel codicilli, vel donationis. Vnde ſunt nonnulli,qui coguntur,varijs fortaſſe ducti cauſis, quas non commemoro, coguntur inquam condonare,& pro modeſtia inuitè aſſentire pertinacibus,in iſtis veſicantibus, & hi quoque,cum ſint prudentes,præclari,ac celeberrimi viri, me hoc nomine, in maximam traducunt admirationem. Cum Medicus ab amico, (ſalua ſemper amicitia) diſcedere in ſententia, quàm liberrimè poſſit: quare neque ad gratiam, neque ad odium alicuius loqui debet optimus medicus, ſed verax,veritatiſque amator debet eſſe. Admiratio.

Quòd ſi confusè, & promiſcuè in omnibus ita parentur veſicantia, non eſt mirum ſi contingat, quòd ſanè, nonnulli caſu, & aliarum rerum interuentu, & cum longa ægrotantium patientia, tandem ſanentur: Præterea, vlcera ex veſicantibus oborta in conualeſcentibus, maximo cum negocio, & diu ad cicatricem perduci difficile poſſunt, & præſertim in corporibus cachochimis. Quare miſeri ægrotantes, diu damnum, ac diſpendium facientes,

cientes, conqueruntur, ac deſperant.
Cicatrices demum fiunt turpes, ac deformes; ob medicamenti aduſtionem. Et iſtæ cutis defœdationes, licet minimè lædant, nec pernitioſæ cicatrices ſint, quia tamen dehoneſtant brachia, & crura, maiori plærunque odio, præſertim mulieribus eſſe conſueuerunt, quàm multi alij lædentes quidem, ſed latentes morbi: Quid multa? veſicantia iſta in excitandis a ſomno ægrotantibus, in lethargicis, & ſimilibus morbis, frigidioribus, vtilia (me iudice) fore facilè poſſunt.

Veſicantia ... morb. con... ueniunt.

DE CVCVRBITVLIS AFFIGENDIS IMPORTVNE.

Admiratio.

ADMIROR inſuper, quòd nonnulli timentes futuram malignitatem (omiſſa venæ brachij ſectione) ad cucurbitulas, vt cucurbitularij confugiunt importunè affigendas: nulla habita ratione motus naturæ; qui quidem motus à medico eſt ſemper conſiderandus. Iccirco, de vtilitate cucurbitularum opportunè appoſitarum, nunc obiter agere inſtituo: & aliàs fortaſſe reppetam ſi defecero, quare naturæ motum medicus ſcire debet, benè operantis, ipſamque imitari: vt teſtatur Galenus multis in locis, & cap. 87. artis medicæ; & primo de diebus decretorijs

cretorijs cap. 11. & 15. de vſu partium ca. 1. & 1. epid. com. 1. tex. Si & ad fraſibulum c. 26. & de vocalium diſſectione. cap. 1. & 6. epid. comm. 2. tex. 29. & 28. Nam ea, quæ non quo expedit vergunt, reuellere oportet. Sin quo decet, tum ijs viam ſtruere, vt ſingula eo repant conuenit: Sed in febre mali moris vniuerſus naturæ motus eſt ad cutem: quapropter, hunc motum medicus per ea, quæ foras euocant, quæ ſunt in alto adiuuabit: nimirum cucurbitulæ affixæ hoc præſtare poſſunt. Siquidem videmus in huiuſmodi febribus mali moris, naturam conantem humores noxios excernere ad cutim: hunc motum medicus imitari debet, eique auxiliari. Si diminutè agat, ſegnius autem peragit, neque integrè euacuat. Et cum exanthemata, ſiue maculæ incipiunt eſfloreſcere, ſi antea ab optimo medico fuerit ſecta vena, vel medicamentum aliquod purgans exhibitum; pro vtriuſuis indigentia, vel vtrunque factitauerit, vel neutrum faciendum curarit, propter eius aduentum tardiorem, vel propter calumniam euitandam, vel ob laborantis, propinquorumque eius timiditatem, vel inobedientiam, non eſt ab re, cucurbitulas quoque cum inciſione quamplurimas affigendas curare, ſuper dorſum, ac natices; quorum corpora euacuata, præ purgataque fuerint: Nam cucurbitulæ vtiles ſunt, purgatis prius corporibus. vt ait Galenus de cucurbitulis cap. 15. & 11. meth. cap. 17. At ſi vires imbecilles

cilles

cilles fuerint, non a morbo, ſed cum vaſa fuerint nimis inanita, tunc ſi cucurbitulis indigebit corpus ægrum, leuioribus vtatur, hoc eſt ſiccioribus. extrahunt enim, & ipſæ ad exteriora, ſed non eò efficacius, quo priores: ſiquidem cucurbitulæ fuerunt inuentæ ad violentum attractum materiæ, quæ in profundo hæret corpore, vt teſtatur Galenus 4.metho.cap.3. & 3.de locis affectis cap 7. quapropter, ſi & vnde naturę motus agatur, & in quam partem mouerit medicus optimus, in quo deficit natura, ipſam adiuuabit, & quę immoderatè feruntur coercebit: ex diuerſis contrarijſque partibus, cucurbitulę reuellunt, vt Galenus cap.2. de reuulſione. in deriuando autem, ſi menſtrua ſupprimantur, vel ſaphenam ſecamus, vel cucurbitulas coxis affigimus; vt Galenus 2.ad Glauc.cap.2. & 5.metho.cap.3. & cap.11. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem: in ſuppreſſis vero hęmorrhoidibus ſcarificamus crura, vt ait Galenus ca.18. de cucurbitulis, & hac ratione dicunt nonnulli, quòd cucurbitulę ſunt vicarię, phlebotomię. largo modo dici poſſunt. in reuellendo, in deriuando, vt in menſtruis & hęmorrhoidibus, & in ſanguinis è naribus profluuio, & alijs fluxionibus: quare ex vſu, & vtilitate cucurbitularum, tùm in reuellendo, tùm in deriuando, colligere poſſumus alterum vſum, in trahendo materiam ſucceſſiuè, a corporis profundo, & affatim; vt dicebat Galenus

Galenus 14.meth. ca.19. quę quidem trahunt citra calefactionem, teſte Galenus 13.meth. ca.6. modò igne modico fuerint applicatę, vt faciunt cucurbitularij in ſuis calefactorijs. Nam ſi vehementes, contendenteſque corpora, nihil effatu dignum attrahunt. quę verò cum mediocri igne, aut aqua calida affiguntur, id quod opus eſt perficiunt, teſte Galenus cap.16. de cucurbitulis, & hę quoque hoc prędite ſunt bono, quo certè carent veſicantia. Nam, & illas iterum, atque iterum, & ſiccas, & cum ſcarificatione iterare, atque reppetere facilè poſſumus, & quantum euacuare, & vbi, & quando, hoc totum eſt in noſtra poteſtate, & in hunc modum naturę motum imitari, eiq; auxiliari facile poſſumus: tunc enim materia turget, & eſt ebulliens, ac feruens in magnis, ac paruis venis, neque dorſo deſunt venę. Eſt enim vena chilis, referta multo ſanguine, adeſt etiam arteria magna, referta multo ſanguine ſpiritali, & ab his venis tranſmittitur magna caliditas ad ipſum dorſum: quò fit, vt primo maculę inſpiciantur in ipſo dorſo: excernuntur etiam, & propter materię fluentis motum, & propter virtutis actionem. Tunc enim materia illa non eſt veluti cinis. nam ſi in cinerem eſſet verſa, non tàm cito exiret. excernitur autem primis diebus quoniam feruens eſt, & ebulliens, & huc illuc differtur, propter ſui caliditatem, & ſubtilitatem. neque ſinit ęgrotantem ſtare loco, quia turget, &

Veſicatorijs cucurbitulę ſunt pręſtātiores.

motu

motu impetuoſiore concitantur ægrotantes; hinc vigiliæ, ac deliria; virtus quoque laborat in excernendo, neque integrè expellit, ſed maior pars retinetur ad intra venas. hinc febris, & incendium: & quamuis, motus iſte ſit ſymptomaticus, quia tamen videntur ſeruari loca conuenientia, hoc nomine adiuuanda eſt natura, vt expellat materiam illam venenoſam, quàmprimum per illas vias cutaneas, & conuenientes: & re ita præſtabimus citius (affixis cucurbitulis) non veſicantibus; & quò natura defficit, ſupplere oportet. Siquidem morbi iſti non ſunt conſiſtentes, hi etenim omnes numeros habent perfectæ judicationis; ſed ſunt acriſes; & in acriſias, & in cruditates, & in diuturnitates, & ſæpe numero, citò in interitus deflectunt. Dicuntur enim acriſes, quoniam natura partim vincit, partim vincitur, ſuperatur autem quando natura ante concoctionem, excernit humorem peccantem, vincit vero dùm quod retinet concoquat: Iccirco, animaduertimus vrinas perturbatas, vt plurimum excerni in his laborantibus; Vnde, & vigere in ſanguine maximam exagitationem fatendum eſt: non poteſt enim materia craſſa confici, & concoqui niſi agitetur; & cum ita agitetur, conſtat vigere adhuc, quæ in ſanguine eſt agitationē: & per agitationem intelligit Galenus 4. de ſanitate tuenda cap. 3. concoctionem, & hæ vrinæ ita perturbatæ, aliquid ſpei de ægrotante afferre aliquando

Cucurbitularum prerogatiua.

Quid p agitationem intelligat.

do

do ſolent medicis valde exercitatis quapropter omni cura, ac diligentia vti debet medicus prudens, vt incumbat ad præclara naturæ opera, & ad eius motus omnes dignoſcendos, ne aliquo pacto, neque vlla in re, quæ rectè ab ipſa fiunt, ſit illi aduerſus, atque inimicus, neq; ipſam diſtrahat, neq; eius concoctionem impediat; quę multis de cauſis impeditur. ſanatio enim quæ per coctionem fit, vrinis perficitur.

Quòd ſi quis locum mihi Hippocratis extorquet, primo aphoriſmorum 20. vbi inquit, quę iudicantur, aut iudicata ſunt integrè non mouere, neque nouare, vel medicamento, vel alijs irritamētis, ſed ſinere oportet. Hoc verum eſt in morbis conſiſtentibus, & quando natura integrè expellit: At natura (vt antea dixi) nunquàm integre, in febribus iſtis mali moris, humores noxios ad cutem vergentes expellit: igitur ceſſare non debet medicus operoſus, quin adiuuet naturam ſemper multis auxilijs, & valde accommodatis, quibus citò, & affatim natura liberetur. quod autem natura non iudicet integrè, vt plurimum in febribus iſtis malè morigeratis, ſatis conſtat in exitu ipſorum exanthematum: Nam ſęuiora fiunt tunc temporis ſymptomata. Nempe vigilię, deliria, & id genus multa, quę omnia fiunt (vt plurimum) citra concoctionem; & huiuſmodi morbi dicuntur (vt antea luculenter dixi) acriſes, & in acriſias, & cruditates, & ſæpenu-

mero in interitus deflectunt: Quid igitur faciendum nobis eſt in febribus iſtis, dum natura excernit exanthemata illa? & plerunque nunquam integrè, humores noxios excernat? quoniam ſcilicet, non excernit factis concoctionibus, neque hę tam breui tempore, & in morbi principio fieri poſſunt: quæ quidem concoctiones opportunè factę, & celeritatem iudicij, & ſecuritatem promittunt, vt dicebat Galenus primo epid. com. 2. tex. 46. & 3. epid. comm. 3. text. 24. Certè concoctiones ſunt naturæ opus, quæ celere iudicium ſecuritatemq; ſalubrem portendunt. Si quidem concoctionem oportet præire ſubſequi diſcretionem, poſtęa euacuationē. teſte Gale. 4. aphor. 24. & hoc verum eſt in morbis non malignis quos natura regere, & gubernare poteſt. Nam tunc perfecta, & integra iudicatio fit: cui nullus numerus deficit iudicatorius: ſcilicet, cum concoctione recto tramite, cum ægri tollerantia, & conferentia, & in die iudicatorio: & ſi quid deſit, vel plura, neque exquiſita, neque integra fuerit iudicatio. Satis conſtat per me (vt antea ſcripſi) quòd in hac febre non integre a natura iudicetur; ſed vbi natura defficit ſupplere medicum oportet: ſolum ſeruat natura conuenientia loca, poſt quam alios numeros perfectæ iudicationis, amplecti minimè poteſt: quare vſus cucurbitularum dum apparent maculæ, ſiue exanthemata eſt valde tutus, promptus, vtilis, & conueniens: quip-

pe

pe cucurbitulæ foras euocant ea quæ ſunt in alto; licet, aliquando plethora exiſtente, & apparentibus maculis vena ſeccetur. Ego vero ſectionem venæ in tali affectione apparentibus maculis in corporibus plethoricis quam ſępiſſimè faciēdam curaui, & fęlici ſemper ſucceſſu. Dum ſtipendiatus a Magnifica, & Illuſtriſſima Ciuitate Rhaguſij, per viginti, & amplius annos medicinam fecerim. redditur enim natura fortior, quæ antea præmebatur, ſed hoc maximo cum iudicio faciendum eſt, tutius tamen eſt (plethora exiſtente) ſanguinem ciere ab ipſis hæmorrhoidibus, & eo magis ſi per eas conſuetam habuerit æger euacuationem: vel crura copioſius ſcarificare, ſi plenitudo adſit, vel cucurbitulas affigendas curare iterum, atque iterum.

DE VENAE SECTIONIS OMISSIONE.

INVENIVNTVR nonnulli Medici ſatis formidoloſi quibus cum ſi de venæ ſectione tractetur in brachio, illam prorſus ſeccandam prohibent, ne vires, vel in præſenti, vel in futuro decidant, & propter futuram (vt aiunt) malignitatem, & ita propter ſuam, vel ipſius laborantis iniectam timiditatem, permanent perplexi, & ancipites, & hoc nomine potiſſi-

mum, ne aliquam ſubinde ipſi ſubeant ex venæ ſectione calumniam, quamuis inſit feruęſcentis ſanguinis copia, febrem acutiſſimam accendens; licet nec ætas prohibeat, nec plethorica vocata ſyndromes, nec aeris temperies in tempus, & locum diuiſa; ex his enim ſanguinis mittendi quantitas depræhenditur non ipſa ſanguinis miſſio tantum: & hi medici venæ ſectionem oppugnantes, mihi certè maximam mouent admirationem, qui ſanè quanti damni ſint in cauſa, ex venæ ſectionis omiſſione teſtatur Galenus, quòd complures periere, quibus prætermiſſum eſt venæ ſectionis auxilium: cum venæ ſectio ſit res facillima, ac expeditiſſima, & ipſa ſola exiſtat in noſtra poteſtate: ex hac enim moliri poſſumus euacuationem, vnde volumus, & quando, & eam ſinere, & ſiſtere, & partiri etiam, ſi morbus, vires, regio, & anni tempus ita poſtularint: per hanc audemns inflammationes celeriter euacuare, & febres non modo continentes, verum etiam omnes alias febres, quas putreſcens humor concitat, vtpote quæ ſint venoſi generis mala perſanare: quare nihil pernitioſius eſt, quam excogitare febres omnes, vel alui deiectione, vel inedia profligari velle. Eraſiſtratus corpora conficiebat inedijs; quæ præterquam quòd longum tempus requirunt etiam vniuerſum corporis habitum, æqualiter euacuant: quod nequaquam conuenit: Quorſum enim id euacuare? quod euacuare non

Admiratio.

eſt

eſt opus (ait Galenus) & cur carnem eliquare; cum ſanguinem detrahere liceat.? Euacuationes enim humorum, dumtaxat infeſtantium fieri debent. noxæ autem multæ ex longa inedia, ac intempeſtiuè adhibita eueniunt: vt teſtatur Galenus aduerſus Eraſiſtratum.c.4 & 9: inediæ planè moderatæ ſunt vnus euacuandi modus, ſed per venę ſectionem, & per inediam moderatam commodius fit euacuatio: & hac vtuntur medici optimi, & pręclari. Eraſiſtratus venam non ſecabat, vt diutinam inediam ab illo inſtitutam facilius ferrent ęgrotantes, ac ſuſtinerent.

Iſti autem qui ſunt ita formidoloſi quorum timorem non adulor, ſed admiror, nec mirari vnquam deſinam omittunt venę ſectionem propter futuram (vt aiunt) malignitatem morbi, & virium imbecillitatem, quę quidem virium imbecillitas, ferè ſemper apparet in hac febre mali moris: in qua percipitur pulſus paruus, debilis, non habet eam velocitatem, quam habere deberet ob id venę brachij ſectionem cauent, & ad ſaluatellam animosè confugiunt, vt ipſa ſeccetur, vel vt cucurbitularij, ad cucurbitulas, vel ad veſicantia confugiunt; vel victum pleniorem imperant, de quo inferius dicam, quod mihi admirationem, & riſum mouet. Cum venę ſectio tempore, & opportunè adhibita, ſit remedium pręſtantiſſimum, & ipſum ſolum exiſtat in noſtra poteſtate, non ſic Admiratio.

ſe habet medicamentum purgans, quod fortuna quoque adminiſtrat, vt ait Galenus.

Cęterum quoniam febres iſtę mali moris (ſicut neque aliquis alter morbus) non ſunt ita affigendę temporibus, ętatibus, locis, regionibus, ac temperaturis perinde, ac alijs temporibus, ętatibus, locis, regionibus; ac temperaturis accidere nequeant, vt plurimum tamen huiuſmodi morbi, temperaturas calidas, & humidas, nimirum ſanguineas inſequuntur, quoniam putreſcibiles ſunt huiuſmodi temperaturę ſanguineę. Putrefit enim ſanguis cum habeat duas cauſas, ſcilicet, humiditatem, quę eſt mater putrefactionis, & caliditatem, quę eſt cauſa. an vero ſolus ſanguis, dico q; ſolus in ſuo principio, ſed poſtea ratione ſui temperaméti additur compoſitio pp alteram partem conuerſam in bilem, alteram in melancoliam; ſunt.n. omnes humores, vna cũ ſanguine confuſi: vnde Galen. 7. de vſu partium ait, nihil eſſe in corpore ſimplex, atque purum; & in 2. elementorum ait, reliquos corporis ſuccos cũ ſanguine permixtos inueniri: hę igitur temperaturæ ſanguineæ, vt plurimũ febribus mali moris corripiũtur, quibus ſuccurrendum quamprimum venæ ſectione. Præueniendi igitur ſunt ęgrotãtes iſti venæ ſectione a principio, ſi morbus, ætas, & vires ita poſtularint, & plethorica vocata ſyndromes in tempus, & locum diuiſa, & ea quæ acciderint in ante acta vita,

circa

circa comeſtiones, & vacuationes factas, aut non factas. Nec audiendi ſunt illi ſanguiſugæ, qui pp calumniam euitãdam, ſub velamine virium imbecillitatis, & futurę malignitatis, quod mihi certè riſum mouet, venã ſeccandam nõ curant, ſed ad illa quæ ſuperius dixi confugiunt. Cum tamen venæ ſectio cum iudicio curata, & facta a doctiſſimis Medicis, & in arte medica longè exercitatiſſimis, præſtantiſſimum ſit auxilium in prçſeruando, & curando: quot ſunt qui tempore peſtis, cum primum ſenſerint capitis dolore vexari alicuius medici optimi cõſilio, & iuſſu ſanguis illis detrahitur maximo cum illorum auxilio? Adhibitis etiã alijs remedijs alexipharmacis, ad hunc inſtitutum neceſſarijs. Galenus quoq; ait ex Oribaſio de cucurbitulis, & ſcarificatiõne. c. 20. dum peſtilentia Aſiã graſſaretur multoſq; pdidiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta crus ſcarificandum iuſſit, duaſq; ferè libras ſanguinis detraxit, & hac de cauſa periculum vitauit. Præterea venam ſecuit Gale. vſq; ad animi deliquium antequam putredo inciperet, febremque iugulauit. Venæ igitur ſectio ſi prętereatur in ſynocho periculum eſt, ne ſuffocetur ęger, niſi ſudor, vel largum ſanguinis profluuium a morte vendicet ęgrotantẽ; ob id ẽt in febre mali moris natura vigorata, ex venę ſectione in brachio facta, & cum iudicio curata copioſiora fiũt, poſtmodũ exãthemata. mulieribus quoq; ſępiſſi-

Admiratio.

ſępiſſimè vena ex cubito ſecta, nocte, vel die ſequenti menſtrua erumpunt, non ſectis maleolis, vel quę in poplite ſunt venis, neque cruribus ſcarificatis; Si igitur plenitudinis ſigna ſatis clara apparuerint ad venę ſectionem te conferas, prius quam aliquod maius malum accidat excellenſque putredo augeatur. Viribus conſentientibus ętate, & morbo, ſiue morbi ſpecie magnitudine, vel more, vel motu. Species morbi, magnitudo morbi, mos morbi, & motus, hęc quatuor variantur pro ſymptomatum varietate, vel motu, & natura. Species morbi cognoſcitur ex his ſymptomatibus, quę morbi naturam explicant: vt in pleuritide, dolor lateris pungitiuus, & pulſus ſerrinus, & reliqua. Magnitudo autem morbi ex eorundem ſymptomatum quantitate, & vehementia. Mos autem cognoſcitur ex ſuperuenientibus morbo ſymptomatibus, ſi multa, ſi diuturna, ſi valida, & maligna extiterint, aut è contra, ſi pauca breuis temporis modica, & mitia fuerint. Motus ex tempore acceſſionis: vnde quartana affligit de quarto in quartum, tertiana de tertio in tertium, & quotidiana omni die, & continua ſanguinea, & hac ratione nomina cōſona acceperunt. Sic enim affligunt, quoniam talis materia debet moueri. Secundum tantam ac talem proportionem, in tanto ac tali tempore, & hoc propter caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, humiditatem, multitudinem,

Febrium variæ inuaſionis cauſa.

dinem, aut paucitatem materiæ, groſſitiem, ſeu ſubtilitatem, ſecundam quam materia febrilis, magis, vel minus conuenit, cum cauſis putredinis, & cum diſcraſia, & his adiungere oportet tempus, anni, regionem, ætatem, cœli, ſtatum, & ægrotantis naturam. Equidem modo vires ſuſtineant, ſemper ſanguinis miſſio eſt facienda, vt dicebat Galenus 4.meth.cap.6.& 6.meth.cap.2.& 9.meth.cap.quinto, & 11.metho.cap.15.& 4.acut.text.19.& 25. in ſanguinis igitur miſſione intelligere oportet virium robur, & ætatem, quare non excluditur ætas, & ſi hæc non dicantur, eadem intelligere oportet, inquit Galenus cap.10.& 20.de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, & 13.meth.cap.11.& in multis locis. Nam ſi puer ſit, non feret euacuationem, quæ fit per diſſectam venam, verum cum pubertatem attigerint pueri, ſanguinis miſſionem tollerant. Itaque ex morbo, ætate, & viribus, minuendus eſſe ſanguis dignoſcitur. At vacuationis quantitas, non ex iſtis modo, ſed ex alijs depræhenditur: & cum affectus numeroſi ſint, cuique eorum, ſua eſt curationis indicatio. Verum ſi vires videantur imbecilles, vt ferè ſemper in hac morbi ſpecie conſpici ſolent, nimirum ex frequentia paruitate, ac debilitate pulſus, quoniam virtus cordis eſt oppreſſa a putredine humorum quantitate, aut qualitate peccantium, aut vtriſque, aut eorundem vaporum ita peccan-

Semper morbus, ætas, & viriū robur conſiderātur in ſāguinis miſſione.

 tium,

tium, & cor ipſum petentium: vnde redditur virtus adeo imbecillis vt prohibeat, ne affatim ſanguis detrahatur, & hoc nomine tunc reiterata fiat ſanguinis detractio: hac enim vtimur, vbi multa euacuatione eſt opus, verum vires ſunt imbecilles, neq; tollerant affatim, vt vnica vice vena ſeccetur; Iccirco ſanguinis detractionem partiri expedit. Quare conſiderare oportet, quando ſemel in virium robore, & quando bis, vel ter, vel ſæpius, ſit ſanguis mittendus in earum imbecillitate, vel in reuulſione facienda pro morbi ſpecie, & in hunc modum putredinem inhibere facile poſſumus; neque vlla deinceps, virium imbecillitas ſequitur. Et cum venæ ſectio ſuccos è vaſis emittat, vtile eſt poſt priorem ſanguinis detractionem, tantiſper intermittere, dum aliquid eorum humorum, qui in corpore ſunt, remigret ad venas; quoniam committendum non eſt, vt in his remaneat, vt pote ex dimidio corruptum, ſed potius plurimum eius expellatur.

Gale. 4. de ſanit. tuen. ca. 10.

DE

DE PVRGATIONE INCONGRVA.

HOC animaduertendum, & vnicè cauendum in venæ ſectione adminiſtranda, quòd non ſolum non fiat illa venę ſectio, ſed etiam quòd neque illud incongruum medicamentum purgans exhibeatur, quod naturæ motum ex diametro pugnet, naturæque ſit contrarium: vtpote quæ venenatos humores, non per aluum, ſed per cutem excernere conatur. Nam quę fit per aluum purgatio contraria eſt illi, quæ fit per cutem. Itaque illorum imperitia me in maximam ducit admirationem, qui non reſpicientes naturæ motum, humorem noxium ad partes cutaneas adhuc expellentis ipſam impediunt, vel reubarbaro, vel medicamento immodicè purgante. cum tunc deſiſtere melius ſit, ſed tantum clyſterium adminiſtratione ſumma ope niti decet. Deinceps non debet Medicus in acutis morbis temerè purgantia medicamenta exhibere, ne ſit naturæ inimicus, & aduerſus, niſi turgente materia: Cum vero bilioſi humores magna ex parte, acutos pariant morbos, adeoque hoc nomine turgeant, raro in his expectamus concoctionem: ſed ſtatim niſi aliud obſiſtat, quod ſit contrarium (purgante medicamen- Admiratio.

In arte curatiua, petit̃ sẽ per purgatio.

to exhibito) purgamus. In arte vero curatiua, latere neminem reor, vniuerſum negocium verſari circa humores, quos, vel purgandos, vel alterandos eſſe oportet. horum igitur ſanationis, duplex eſt intentio, alteratio, & euacuatio, ſiue purgatio. alterantur, vel ab ipſo corpore concocti, vel ab aliquibus medicamentis alexiterijs, vel alexipharmacis. & præter iſta, a multis alijs: purgantur autem corpora noſtra, ſatis calidis medicamentis; variè, ac multis modis, tum ſponte; tum arte, ſeu medici opera, vt patet legenti accuratius Hippocratem, & Galenum. Etenim euacuantur primum venæ ſectione, ſcarificatione, cucurbitularum appoſitione, ſanguiſuccis, ſiue hirudinibus applicitis, clyſteribus medicamẽto purganti, vomitu, inedia, ſputi eductione, mictione, coitu, inſenſili euacuatione, ſiue halitu, exercitio, balneo, frictione, ſomno, ſudore, alui fluxione, ſanguinis è naribus profluuio menſium, ac hæmorrhoidum promanatione: hi autem ſunt loci, per quos variæ fiunt purgationes, tum communes, tũ pariculares: at propriæ, ex locis ſuperfluitates, quæ in primis venis cõtinentur per ventrẽ euacuantur: quę vero in renibus ſunt, & veſica, & in hepatis parte gibba, per meatus vrinæ: quæ autem in capite, per palatum, ſiue per nares, vel per vtrunque; quę vero in partibus thoracis laxioribus ſunt, per guttur, ſimul cum tuſſi: in toto vero corpore per ſu-

dorem:

dorem: fit aliquando humorum, vel reuulſio, vel deriuatio; reuulſio quidem, ad oppoſitas partes, & ad maximè diſtantes: deriuatio vèro ad vicinas. At quoniam purgatio præſupponit materiam peccantem, ob id, quæ ſit materia purganda; conſiderare medicus debet. Eſt enim purgatio, humorum ſua mala qualitate nocentium, vacuatio, & qualitas dicitur impræſentia, pro differentia, aut ſpecie humorum corruptorum, & corpus infeſtantium: iccirco Galenus quarto de ſanitate tuenda; hortatur, vt medicus reſpiciat in alui deiectione, & ſucci copiam, & ſpeciem, ideſt qualitatem: neque intelligendum eſt de nuda qualitate, ſcilicet, caliditate, frigiditate, &c. Fruſtra enim dixiſſet purgatio, ſed potius alteratio. Qualitas igitur humorum, impræſenti, non ſolum calidiores, frigidiores, humidiores, ſicciores factos, verum etiam immodicè auctos, ſignificat: quos, hoc nomine, per purgationem, educere oportet: quare per qualia intelligit Galenus redundantiam eorum, quæ qualitate moleſtant, ægrotantem. & per qualitatem, interdum intelligitur cochochimia. & per quantitatem plenitudo, ſeu plethora: & quemadmodum qualitatem, pro humoris ratione, qui corpus infeſtat, vacuari oportet, ita & quantitatem humoris moleſtantis, pro multitudine congruere decet.

decet. At vacuationem ſimpliciter dicere conſueuit Hippocrates, quando humores omnes ex ęquo euacuantur, purgationem vero quando ij qui qualitate moleſtant. Idem 6.aphor.11. non ſolum vacuationis ratione hæmorrhoides ſanant eiuſmodi mala, verum etiam qualitas eius quod euacuatur: hoc eſt ſpecies humoris melancholici. Idem 6.meth.c.6.ait purgationem in redundantia humorum vitioſorum conuenienter ſuſcipi, & 6. meth.ca.2.ait, ſi corpus vitioſis ſuccis refertum ſit, protinus purgetur. ſemper enim noxij humores ſunt purgandi: proinde Hippocrates, & Galenus, ſuadet ſuccum ipſum, qui redundat eſſe purgandum: quare vbi ſanguis abundet, eius detractio animoſè adhibenda eſt. Si cætera conſenſerint, vel pharmacũ, quod vel bilem flauam, vel attram, vel pituitam, vel ſeroſos humores educendi, vim habeat, eſt exhibendum: Decet igitur Medicum prudentem eſſe, qui ſciat qua ratione corpus ſit purgandum, & euacuandum: ſcopus omnium euacuationum eſt humor ſuperabundans, cuius notitia eſt perquirenda. Principium enim curationis eſt, euacuatio humoris affligere inuenti. Quibus autem auxilijs, purgatio fieri poſſit, ex diſpoſitionibus ipſis ſumendum: quare ſi omnes aucti fuerint humores, & ſanguis ſolus copia exuperauerit, per venæ ſectionem vacuatio fiat. Sin autem flauæ bilis, aut atræ bilis humor, aquoſumque

aliquod

aliquod humoris ſerum, vacuatione quidem, ſed non ſimiliter agendum. Nam quæ in primis venis ſunt excrementa, tenuiaque, purganda deiectorij, quæ autem in toto habitu tenuia ſunt per ſudores, & ſic ſingulæ faciendæ ſunt particulares vacuationes, vt ſuperius dictum eſt. Ad ſpeciem autem humoris euacuandi cognoſcendam, multa nos contemplari oportet: nimirum ætatem, & naturam, ſiue temperaturam ægrotantis, aerem, tempus, anni, atque eiuſdem conſtitutionem, & conſuetudinem: pariter & qui difficulter purgantur, & qui modico aſſumpto medicamento copiosè. Medico igitur diligenti, priuſquam conetur ęgro adhibere medicamentum, non ſolum morbi eius, cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis eſt cognoſcenda: proinde eos ſanos cognoſcere debemus, quos ęgros ſumus curaturi: pręterea victum pręteritum, & quæ acciderunt in ante acta vita circa excretiones factas, aut non factas, & animi accidentia. vna cum alijs vitę inſtitutis, nimirum balneo, exercitio, ſomno, & vigilijs, & inſuper corporis repletione, & inanitione, inedia, & habitu corporis in raritate, ac denſitate: hęc omnia indicant purgandi modum. Intentio igitur exhibendi medicamentum eſt, quod vim habeat humorem infeſtantem expurgandi. Sunt enim nonnulla corpora, quæ pituitam, nonnulla quę flauam, alia quę

atram exaugent. Habere igitur rationem oportet, & victus præteriti, ac temporis anni, & regionis, & ętatis, & morborum. Nam tertiana ſit a flaua bile modum excedente, quartana ab atra, quotidiana a pituita, eryſipellas a flaua, atque ſic ſingulę morborum ſpecies, ſimul cum ętate, anni, tempore, & regione, & victus ratione: quòd ſi hęc omnia diſtinxerimus firmiter, atque tutò ad noxij humoris euacuationem perueniemus;

Cognita igitur materia, ſiue ſpecie, & qualitate humoris peccantis, aggredienda eſt eius euacuatio, ſeu purgatio illis medicamentis, quæ cholagoga, hoc eſt bilis eductiua, ab effectu nominantur: & ſic in alijs humoribus purgandis, medicamenta variantur, pro humoris ſpecie. illaque parantur exhibenda, quæ habent vim purgandi humorem illis familiarem: purgantia enim medicamenta ſunt familiaria humoribus quos purgant, vt magnes ferro, vt Galenus 3. de ſimpl. medic. facultatibus. cap. 25. ait Galenus purgantia trahendi vim habent omnia. nec ſolum quæ purgant medicamenta proprias ſibi qualitates attrahunt, ſed etiam quę ſurculos euellunt, ac tellorum cuſpides, quòd ſi dicantur medicamenta purgantia trahere humores, qualitatis familiaritate, nihil aliud eſt, quam dicere medicamenta purgantia trahunt humores qualitatis familiaritate, & ſimilitudine eſſentiæ; ſiquidem ſimilitudo hæc, quæ elemento-

3. de ſimpl. medi. fac. c. 25.

rum

rum commixtionem] ſequitur, non eſt alia, niſi qualitatum, quæ inſunt illis ſubſtantijs cognatio, & familiaritas: quemadmodum eſt inter alimentum, & illud, quod nutritur, ſocietas quædam: id quod Gale. multis in locis oſtendit, & 1. de natural. facultatibus, & 3. de temperamentis. ca. 2. ubi ait, ꝙ oportet, ut toti nutrientis ſubſtantię, cum tota nutriti natura communio aliqua ſimilitudoque ſit: atque hoc eſt, quod ab Hippocrate dicitur, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt ægrotantes. Medicamenta vero purgantia humores trahere, ſuæ naturæ accommodatos, & familiares, manifeſtè declarat Galen. & 2. de elementis cap. 3. & multis in locis aduerſus Aſclepiadem: hac idem aperte videre licet in ſuperfluis purgationibus, quando medicamenta purgantia ſcytica quadam rabie parantur, quæ ſunt execranda, ſemperque maledicenda. Nam purgantia medicamenta fortia, ut teſtatur Galenus 3. de ſimplic. medicamen. facultatibus. capit. 27. uires diſſoluunt, atque deijciunt, hominesque necant, & multa incommoda inferunt, quamobrem, primo quidem bilis, ſecundo loco pituita, tertio atra bilis, poſt hæc, poſtremus omnium in ſuperpurgationibus, effunditur ſanguis. vtpote quis, naturæ ſuccuſſit familiariſſimus: idem accidit medicamentis ſuperpurgantibus primò pituitam, deinde cæteros humores, vſq; ad ſanguinem

ſępiſſimè vena ex cubito ſecta, nocte, vel die ſequenti menſtrua erumpunt, non ſectis maleolis, vel quę in poplite ſunt venis, neque cruribus ſcarificatis; Si igitur plenitudinis ſigna ſatis clara apparuerint ad venę ſectionem te conferas, prius quam aliquod maius malum accidat excellenſque putredo augeatur. Viribus conſentientibus ętate, & morbo, ſiue morbi ſpecie magnitudine, vel more, vel motu. Species morbi, magnitudo morbi, mos morbi, & motus; hęc quatuor variantur pro ſymptomatum varietate, vel motu, & natura. Species morbi cognoſcitur ex his ſymptomatibus, quę morbi naturam explicant: vt in pleuritide, dolor lateris pungitiuus, & pulſus ſerrinus, & reliqua. Magnitudo autem morbi ex eorundem ſymptomatum quantitate, & vehementia. Mos autem cognoſcitur ex ſuperuenientibus morbo ſymptomatibus, ſi multa, ſi diuturna, ſi valida, & maligna extiterint, aut è contra, ſi pauca breuis temporis modica, & mitia fuerint. Motus ex tempore acceſſionis: vnde quartana affligit de quarto in quartum, tertiana de tertio in tertium, & quotidiana omni die, & continua ſanguinea, & hac ratione nomina cõſona acceperunt. Sic enim affligunt, quoniam talis materia debet moueri. Secundum tantam ac talem proportionem, in tanto ac tali tempore, & hoc propter caliditatem, frigiditatem, ſiccitatem, humiditatem, multitudinem,

Febrium variæ inuaſionis cauſa.

dinem, aut paucitatem materiæ, groſſitiem, ſeu ſubtilitatem, ſecundam quam materia febrilis, magis, vel minus conuenit, cum cauſis putredinis, & cum diſcraſia, & his adiungere oportet tempus, anni, regionem, ætatem, cœli, ſtatum, & ægrotantis naturam. Equidem modo vires ſuſtineant, ſemper ſanguinis miſſio eſt ſacienda, vt dicebat Galenus 4.meth.cap.6.& 6.meth.cap.2. & 9.meth. cap.quinto, & 11.metho.cap.15. & 4. acut.text.19. & 25. in ſanguinis igitur miſſione intelligere oportet virium robur, & ætatem, quare non excluditur ætas, & ſi hæc non dicantur, eadem intelligere oportet, inquit Galenus cap.10. & 20. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem, & 13. meth.cap.11. & in multis locis. Nam ſi puer ſit, non feret euacuationem, quæ fit per diſſectam venam, verum cum pubertatem attigerint pueri, ſanguinis miſſionem tollerant. Itaque ex morbo, ætate, & viribus, minuendus eſſe ſanguis dignoſcitur. At vacuationis quantitas, non ex iſtis modo, ſed ex alijs depræhenditur: & cum affectus numeroſi ſint, cuique eorum, ſua eſt curationis indicatio. Verum ſi vires videantur imbecilles, vt ferè ſemper in hac morbi ſpecie conſpici ſolent, nimirum ex frequentia paruitate, ac debilitate pulſus, quoniam virtus cordis eſt oppreſſa a putredine humorum quantitate, aut qualitate peccantium, aut vtriſque, aut eorundem vaporum ita peccantium,

Semper morbus, ætas, & viriũ robur conſiderãtur in sãguinis miſſione.

tium, & cor ipſum petentium: vnde redditur virtus adeo imbecillis vt prohibeat, ne affatim ſanguis detrahatur, & hoc nomine tunc reiterata fiat ſanguinis detractio: hac enim vtimur, vbi multa euacuatione eſt opus, verum vires ſunt imbecilles, neq; tollerant affatim, vt vnica vice vena ſeccetur; Iccirco ſanguinis detractionem partiri expedit. Quare conſiderare oportet, quando ſemel in virium robore, & quando bis, vel ter, vel ſæpius, ſit ſanguis mittendus in earum imbecillitate, vel in reuulſione facienda pro morbi ſpecie, & in hunc modum putredinem inhibere facile poſſumus; neque vlla deinceps, virium imbecillitas ſequitur. Et cum venæ ſectio ſuccos è vaſis emittat, vtile eſt poſt priorem ſanguinis detractionem, tantiſper intermittere, dum aliquid eorum humorum, qui in corpore ſunt, remigret ad venas; quoniam committendum non eſt, vt in his remaneat, vt pote ex dimidio corruptum, ſed potius plurimum eius expellatur.

Gale. 4. de ſanit. tuen. ca. 10.

DE

DE PVRGATIONE INCONGRVA.

HOC animaduertendum, & vnicè cauendum in venæ ſectione adminiſtranda, quòd non ſolum non fiat illa venę ſectio, ſed etiam quòd neque illud incongruum medicamentum purgans exhibeatur, quod naturæ motum ex diametro pugnet, naturæque ſit contrarium: vtpote quæ venenatos humores, non per aluum, ſed per cutem excernere conatur. Nam quę fit per aluum purgatio contraria eſt illi, quæ fit per cutem. Itaque illorum imperitia me in maximam ducit admirationem, qui non reſpicientes naturæ motum, humorem noxium ad partes cutaneas adhuc expellentis ipſam impediunt, vel reubarbaro, vel medicamento immodicè purgante. cum tunc deſiſtere melius ſit, ſed tantum clyſterium adminiſtratione ſumma ope niti decet. Deinceps non debet Medicus in acutis morbis temerè purgantia medicamenta exhibere, ne ſit naturæ inimicus, & aduerſus, niſi turgente materia: Cum vero bilioſi humores magna ex parte, acutos pariant morbos, adeoque hoc nomine turgeant, raròin his expectamus concoctionem: ſed ſtatim niſi aliud obſiſtat, quod ſit contrarium (purgante medicamen- Admiratio.

In arte curatiua, petit sē. per purgatio.

to exhibito) purgamus. In arte vero curatiua, latere neminem reor, vniuerſum negocium verſari, circa humores, quos, vel purgandos, vel alterandos eſſe oportet. horum igitur ſanationis, duplex eſt intentio, alteratio, & euacuatio, ſiue purgatio. alterantur, vel ab ipſo corpore concocti, vel ab aliquibus medicamentis alexiterijs, vel alexipharmacis. & præter iſta, a multis alijs: purgantur autem corpora noſtra, ſatis calidis medicamentis; variè, ac multis modis, tum ſponte, tum arte, ſeu medici opera, vt patet legenti accuratius Hippocratem, & Galenum. Etenim euacuantur primum venæ ſectione, ſcarificatione, cucurbitularum appoſitione, ſanguiſuccis, ſiue hirudinibus applicitis, clyſteribus medicamēto purganti, vomitu, inedia, ſputi eductione, mictione, coitu, inſenſili euacuatione, ſiue halitu, exercitio, balneo, frictione, ſomno, ſudore, alui fluxione, ſanguinis è naribus profluuio menſium, ac hæmorrhoidum promanatione: hi autem ſunt loci, per quos variæ fiunt purgationes, tum communes, tū pariculares: at propriæ, ex locis ſuperfluitates, quæ in primis venis cōtinentur per ventrē euacuantur: quę vero in renibus ſunt, & veſica, & in hepatis parte gibba, per meatus vrinæ: quæ autem in capite, per palatum, ſiue per nares, vel per vtrunque; quę vero in partibus thoracis laxioribus ſunt, per guttur, ſimul cum tuſſi: in toto vero corpore per ſudorem:

dorem:

dorem: fit aliquando humorum, vel reuulſio, vel deriuatio; reuulſio quidem, ad oppoſitas partes, & ad maximè diſtantes: deriuatio vèro ad vicinas. At quoniam purgatio præſupponit materiam peccantem, ob id, quæ ſit materia purganda, conſiderare medicus debet. Eſt enim purgatio, humorum ſua mala qualitate nocentium, vacuatio, & qualitas dicitur impræſentia, pro differentia, aut ſpecie humorum corruptorum, & corpus infeſtantium: iccirco Galenus quarto de ſanitate tuenda, hortatur, vt medicus reſpiciat in alui deiectione, & ſucci copiam, & ſpeciem, ideſt qualitatem: neque intelligendum eſt de nuda qualitate, ſcilicet, caliditate, frigiditate, &c. Fruſtra enim dixiſſet purgatio, ſed potius alteratio. Qualitas igitur humorum, impræſenti, non ſolum calidiores, frigidiores, humidiores, ſicciores factos, verum etiam immodicè auctos, ſignificat: quos, hoc nomine, per purgationem, educere oportet: quare per qualia intelligit Galenus redundantiam eorum, quæ qualitate moleſtant, ægrotantem. & per qualitatem, interdum intelligitur cochochimia. & per quantitatem plenitudo, ſeu plethora: & quemadmodum qualitatem, pro humoris ratione, qui corpus infeſtat, vacuari oportet, ita & quantitatem humoris moleſtantis, pro multitudine congruere

decet.

decet. At vacuationem ſimpliciter dicere conſueuit Hippocrates, quando humores omnes ex ęquo euacuantur, purgationem vero quando ij qui qualitate moleſtant. Idem 6 aphor. 11. non ſolum vacuationis ratione hæmorrhoides ſanant eiuſmodi mala, verum etiam qualitas eius quod euacuatur: hoc eſt ſpecies humoris melancholici. Idem 6. meth. c. 6. ait purgationem in redundantia humorum vitioſorum conuenienter ſuſcipi, & 6. meth. ca. 2. ait, ſi corpus vitioſis ſuccis refertum ſit, protinus purgetur. ſemper enim noxij humores ſunt purgandi: proinde Hippocrates, & Galenus, ſuadet ſuccum ipſum, qui redundat eſſe purgandum: quare vbi ſanguis abundet, eius detractio animosè adhibenda eſt. Si cætera conſenſerint, vel pharmacũ, quod vel bilem flauam, vel attram, vel pituitam, vel ſeroſos humores educendi, vim habeat, eſt exhibendum: Decet igitur Medicum prudentem eſſe, qui ſciat qua ratione corpus ſit purgandum, & euacuandum: ſcopus omnium euacuationum eſt humor ſuperabundans, cuius notitia eſt perquirenda. Principium enim curationis eſt, euacuatio humoris affligere inuenti. Quibus autem auxilijs, purgatio fieri poſſit, ex diſpoſitionibus ipſis ſumendum: quare ſi omnes aucti fuerint humores, & ſanguis ſolus copia exuperauerit, per venæ ſectionem vacuatio fiat. Sin autem flauæ bilis, aut atræ bilis humor, aquoſumque

aliquod humoris ſerum, vacuatione quidem, ſed non ſimiliter agendum. Nam quæ in primis venis ſunt excrementa, tenuiaque, purganda deiectorij, quæ autem in toto habitu tenuia ſunt per ſudores, & ſic ſingulæ faciendæ ſunt particulares vacuationes, vt ſuperius dictum eſt. Ad ſpeciem autem humoris euacuandi cognoſcendam, multa nos contemplari oportet: nimirum ætatem, & naturam, ſiue temperaturam ægrotantis, aerem, tempus, anni, atque eiuſdem conſtitutionem, & conſuetudinem: pariter & qui difficulter purgantur, & qui modico aſſumpto medicamento copioſè. Medico igitur diligenti, priuſquam conetur ęgro adhibere medicamentum, non ſolum morbi eius, cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis eſt cognoſcenda: proinde eos ſanos cognoſcere debemus, quos ęgros ſumus curaturi: prętereа victum pręteritum, & quæ acciderunt in ante acta vita circa excretiones factas, aut non factas, & animi accidentia. vna cum alijs vitę inſtitutis, nimirum balneo, exercitio, ſomno, & vigilijs, & inſuper corporis repletione, & inanitione, incedia, & habitu corporis in raritate, ac denſitate: hęc omnia indicant purgandi modum. Intentio igitur exhibendi medicamentum eſt, quod vim habeat humorem infeſtantem expurgandi. Sunt enim nonnulla corpora, quæ pituitam, nonnulla quę flauam, alia quę

atram

rum commixtionem] ſequitur; non eſt alia, niſi qualitatum, quæ inſunt illis ſubſtantijs cognatio, & familiaritas: quemadmodum eſt inter alimentum, & illud, quod nutritur, ſocietas quædam: id quod Gale. multis in locis oſtendit, & 1. de natural. facultatibus, & 3. de temperamentis. ca. 2. ubi ait, ꝙ oportet, ut toti nutrientis ſubſtantię, cum tota nutriti natura communio aliqua ſimilitudoque ſit: atque hoc eſt, quod ab Hippocrate dicitur, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt ægrotantes. Medicamenta vero purgantia humores trahere, ſuæ naturæ accommodatos, & familiares, manifeſtè declarat Galen. & 2. de elementis cap. 3. & multis in locis aduerſus Aſclepiadem: hac idem aperte videre licet in ſuperfluis purgationibus, quando medicamenta purgantia ſcytica quadam rabie parantur, quæ ſunt execranda, ſemperque maledicenda. Nam purgantia medicamenta fortia, ut teſtatur Galenus 3. de ſimplic. medicamen. facultatibus. capit. 27. uires diſoluunt, atque deijciunt, hominesque necant, & multa incommoda inferunt, quamobrem, primo quidem bilis, ſecundo loco pituita, tertio atra bilis, poſt hæc, poſtremus omnium in ſuperpurgationibus, effunditur ſanguis. vtpote quis, naturæ ſuccuſſit familiariſſimus: idem accidit medicamentis ſuperpurgantibus primò pituitam, deinde cæteros humores, vſq; ad ſanguinem

qui ſemper vltimus excernitur in ſuperpurgationibus. Cæterum in medicamentis leuiter purgantibus, facilius ſucci tenues, expurgabuntur craſſis, vnde a nonnullis ſcriptum eſt medicis, ſe nunquã medicamentum purgans exhibuiſſe, quin flaua bilis prior euacuaretur, leuiſſimam ſimul, ac tenuiſſimam eſſe. Cæteros autem humores ſequi. quoniam in huiuſmodi medicamentis, quæ tenuiora ſunt, promptius purgantur craſſioribus. Nam teſte Galeno 14.meth.c.18.bilis quidem euacuatio facilis eſt, pituitæ vero, & potiſſimum eius quæ craſſior eſt, glutinoſiorque, itemque nigræ bilis difficilior, non ſic autem in ſuperpurgantibus medicamentis contingit: in quibus manifeſtum eſt, in ſuperpurgationibus vacuari humorem, qui illis familiariſſimus eſt. aliorum autem vnumquemque, pro ut, aut craſſus eſt, aut tenuis. in ſucceſſione autem ad id, quod euacuatur, quod leuiſſimum eſt prius ei, quod euacuatur, ſuccedit, quam id, quod grauius eſt, & craſſius: Porrò omnium, quę in corpore ſunt, leuiſſimumque ſpiritus eſt. ſecundo loco halitus, tertio gradu, qui planè abſolutus attenuatuſq; eſt ſanguis, ut dicebat Galenus 3.de naturalibus facultatibus cap.14.ſanguis igitur eſt vltimus, ut excernatur in ſuperpurgantibus medicamentis, quoniam eſt naturæ familiariſſimus.

Cur ſanguis vltimus in ſuperpurgationibus.

Euacuatio modum excedens peſſima, & vires proſter-

proſternit: quæ quidem non eſt minus immoderata repletione periculoſa, & hanc ipſam ad ſummum progredi vetat Hippocrates, & Galenus, multis in locis: ſubitam enim tum euacuationem, tum repletionem natura tolerare ſine noxa non poteſt. plurimum autem euacuare eſt plus, quam vires tolerare queant, educere: & eſt periculoſum: ſic & explere. Non eſt igitur multum, ac repentè euacuandum: niſi idipſum, vt faciamus ingens nos vrgeat neceſſitas: quod tribus potiſſimum modis accidere ſolet, Galenus teſte primo aphoriſm. 23. in maximis inflammationibus, in ardentiſſimis febribus, & vehementiſſimis doloribus, in ijs enim, vſque ad animi deffectionem euacuamus. Euacuationes autem vſque ad animi deffectum intelliguntur, tam in emiſſione ſanguinis, quàm in exhibendo pharmacum, vt magis conuenit, addita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare oporteat, vſque ad animi deffectum. Quæ ſint ad ſummũ euacuatiões.

Cæterum, ut affectus ſunt magni, & vehementes, ita quoque vacuationes affatim ſunt faciendæ. Galenus de cucurbitulis, & ſcarificatione. cap. 19. vires tamen ſunt conſiderandæ in euacuatione, & illas ſemper attendere oportet: natura ſiquidem nos gubernat. & ubi ad animi deliquium expedit ducere faciendum: ſi æger poſſit tolerare, & ex animi deliquio emergere denuo poſſit: ex medico enim medicamentum purgans, ex natura verò to-

tum negocium pendet: conuenit igitur ut ualida ſit laborantis vis in euacuatione: In quibus vires validæ ſunt noxijs humoribus euacuatis ceſſant morbi. in quibus uero ſunt imbecilles, dum noxij humores euacuantur, vna etiam & ipſe diſſoluuntur, vt dicebat Galenus 1. aphor. 12. Quando uero uacuandi indicationes aduerſantur, ubi ſcilicet, corruptella incidit, cum viribus imbecillioribus, paulatim quod vitioſum eſt vacuare, & paulatim inuicem, quod ſalubre eſt, pro eo reponere oportet. vocant medici huiuſmodi uitioſi ſucci curationem, epicraſim. Gale. 9. meth. c. 10. At uacuationis menſura ſingulorum hominum nunquã præſcribi poteſt. uidemus ſemper, & ut in pluribus, ꝙ quantitati confectorum ſuccorum, quantitas reſpondet excrementorum. proinde vbi plurimi cõficiuntur, illic plurima ſunt excrementa, & vbi plurima excrementa, hic & multa opus eſt euacuatione, & è conuerſo videmus, ꝙ maior fiat aliquando deiectio, quam pro comeſtorũ multitudine, ut dicebat Gal. 3. de ſympt. cauſis. cap. 1. & 2. idque fit, vel ob digeſtionis deffectum, vel confluentibus ſupernè aliquibus in ea, quæ circa ventrem ſunt loca. quare aſſiduæ excretiones fiunt, uel propter imbecillitatem, vel propter demorſum, præterea cibi glutinoſi, & humidi celerem faciunt deiectionem. Contrà uero craſſi, & acerbi tardi ſunt tranſitus. quare ſunt hæc omnia referenda ad tria, nimi-

Cur maior fiat deiectio quã pro ciborum aſsũptione.

nimirum ad virtutis alteratricis imbecillitatẽm, ad multitudinem, & ad demorſum, ob humorum acrimoniam. In medicamentis autem exhibendis nulla menſura purgandi dari poteſt, quoniã in his fortuna adminiſtrat, vt ait Gale. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum cap. 7. in ſola venæ ſectione, Medicus liberã ſiſtendi facultatẽ habet quãdo voluerit, & hoc ex coloris ſanguinis mutatione fluentis, & ex colore ęgrotantis, animiq; eius deffectu, & ex ſanguinis uigore labeſcente, & pulſus mutatione: hæc inquam omnia uacuationis terminũ obtinent, vt Gal. c. 12. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem. Decet itaq; cum purgatio requiratur, conſiderare humorem, ſeu materiam noxiam, & peccantem, non ſolum qualis, quantaq; ſit illa, ſed ét conſiderare oportet an illa ſit concocta, an cruda, an turgens, & quando ſit purganda, an principio morbi, & per quam regionem ſeu locum; conſiderandus quoq; morbus eſt, an ſit acutus, ſeu valde acutus, aut longus. hæc omnia ſunt a peritiſſimo medico, & in arte medica exercitatiſſimo, ſummo cũ iudicio perpendenda: Cæterum in purgandis corporibus, multa nos docet Hippocr. & Gale. præcepta. omne autem præceptum eſt cõmune, & firmũ, quod cognoſcere debemus, illudq; candidè magis, & amicè interpretari, ac diſtinguere, q̃ hoſtiliter inſectari, & redarguere aliquis debet: Dicit in 1. Hipp. 2. aph. 29. Cum morbi incipiunt, ſi quid

uidetur mouendum moue. Cum uerò conſiſtunt, & uigent, quieſcere melius, ait Hippo. Si videatur, hoc eſt ſi aluus nil ſponte fluat, atque deijciat, clyſterem inijcies, corpus item quieti permittere, vngere, & æqualiter cooperire oportet, & potiſſimũ in morbis conſiſtentibus, & de his nunc loquitur Hippocrates. ſunt enim conſiſtentes in quibus hũ motum cõcoctionem expectare facilè poſſumus. Nam ſi dimouere in his humores initio tentemus, cum adhuc crudi ſint, nihil auxilij a natura expectabimus ſiquidem habemus ipſam poſt concoctionem, euacuationi adminiculantem, humores enim diſcernit, & poſtea euacuat: quòd ſi purgabimus, ipſam impediemus. Idem aſſerit Galenus de his quos purgare oportet. debemus itaq; adhibere purgantia medicamenta, vbi ſcilicet ea, quæ ſunt cruda fuerint cocta. Cauendum tamen eſt, ne in morborum principijs, niſi turgeant humores, ea propinemus: idem affirmat Gale. 4. de ſanitate tuenda. cap. 5. vbi ita ſcriptum reliquit: deiectio in ijs, qui crudis humoribus, in primis venis abundant, cruciatus circa vmbilicum, & mordicationes creat. animique deliquia, cum eo, quòd nec notatu quidpiam dignum educit, quando crudi humores omnes pigri, atque ad motum inepti, propter craſſitudinem frigiditatemque ſint. quo fit, vt etiam omnes anguſtas uias obſtruat, per quas medicamentum id quod deijcit, ferri ad al-

uum

uum debeat. quare neque ipſi educuntur, & alijs ſunt impedimento. vnde ſcriptum eſt ab Hippocrate 2. aphoriſmorum 11. corpora cum quis purgare uoluerit, oportet prius fluida facere. Idem ait 4. aphoriſmorum 13. idem 6. epidemiorum cō. 1. tex. 6. & li. de his quos purgare oportet circa initia. Fluida ſiquidem facimus corpora, & cunctis meatibus reſerratis, deinde humoribus craſſis inciſis, & extenuatis. oportet igitur ea, quæ continent humores laxare, rarefacere, & meatus recludere, oraq; vaſorum dilatare, contentos autem in corpore humores craſſos, ac tenaces extenuare, atq; incidere: quod plenius narrat Galenus in libro de his, quos purgare oportet; igitur non ſemper expedit inter morborum principia, medicamentis purgantibus mouere humores, ſed tum ſolum cum turgēt, hoc eſt motu impetuſiore, & concitatione correpti, a parte corporis in partem defluant: quod tamen rarò accidit: hinc eſt, quòd primo aphoriſmorum 24. dixerit Hippocrates. In acutis morbis raro, & inter initia purgantibus medicamentis utendum. Cum vero non turgent, ſed in aliqua parte fixi hærent, in principio mouendi non ſunt, eo quod, tum adhuc crudi ſint, atque adeo ad expulſionem inepti: id quod ſanè hoc oraculo, breuiſſimè Hippocrates explicat primo aphoriſmorum 22. Concocta medicari, & ea, quæ cruda non ſunt, mouere oportet. neque in principijs mor-

borum.

borum, niſi turgeant, magna vero ex parte non turgent. Eadem de cauſa dicendum, quod nec excitare, nec omnino mouere, ſed nec lauare expedit eos, qui in primis venis crudorum copiam habēt, ſiquidem omnes id genus motus, ſuccos illos, in totum corpus agunt. Seruandi igitur ſunt in omni quiete, dandaque ipſis cibus, potio, medicamentaque ſunt ſingula eius generis, quæ attenuent, diſſeccentque, atque conficiant ſuccorum craſſitudinem, idque citra manifeſtum calorem: Nam, qui excalfacti vehementius ſucci ſunt, hi in omnem corporis partem feruntur. Cruda intelliguntur ea, quæ in alimenti ratione, alterationeue, citra ſanguinem ſubſtiterunt, nec exactam elaborationem ſunt adepta: ut Galenus 4. de ſanitate tuenda. c. 4. ſic Galenus primo de alimentorum facultatibus. c. de tritico, ſuccum craſſum, & frigidum, propriè crudum ait nominari. Cum itaque crudi humores craſſi, & frigidi ſint, rectè Hippocr. ſtatuit eos, non niſi vbi fuerint cocti, medicamento purgante vacuandos, aut quomodolibet, nempe per vrinam, ſudorem, exercitia, frictiones, balnea, & id genus alia præſidia mouendos eſſe. Quòd autem cruda non ſint vacuanda, affirmat Hippo. 4. acut. tex. 19. Quicunq; inquit ſtatim inter initia morbi, phlegmone, obſeſſas partes, medicamento ſoluere conantur, ij a parte intenſa, inflammataque nihil auferunt. affectus enim cum crudus ſit, non cedit.

Quoniam

Quoniam autem concocta medicari, & purgationem prorſus cauere oportet, cum in humoribus adſit cruditas, quę dignoſcitur ex vrinis, quando ſunt tenues, ſic certè, & vrinas nebuloſas, audire oportet, quæ coctionis notæ exiſtunt: ſanatio enim quæ per coctionem fit, vrinis perficitur: & hos purgare decet, annuentibus cæteris: quibus vero vrinæ ſunt tenues, ijs medicamen non eſt exhibendum. At ſi videbitur, quòd aluus nil ſponte deijciat, clyſteribus vtendum. ita namq; ſi curentur profuerit. eorum autem quæ in ventre concoquuntur, deiecta per aluum excrementa, cruditatem, & concoctionem arguunt. pariter, & ea quæ per tuſſim excernuntur. eorum denique, quæ in venis exiſtunt ex vrinis. Nam de ijs, quæ ad intra venas ſunt nullum efficacius ſignum habemus, præter ſolas vrinas. & vrina eorum tantum humorum, qui in vaſis continentur, nota eſt: ut ait Gale. 4. de ſanit. tuen. cap. 2. & 4. ex vrinis igitur ſumitur iudicium, vt Gal. primo epid. com. 2. tex. 44. & c. 7. de renum affectus dignotione, & medicatione, quando ſcilicet ſit purgandum in morbis conſiſtentibus, & qui ad vigorem perueniunt. quare ait Hippoc. corpus quieti permittendum: purgationes vero corpus, & mouent, & frangũt, & coctionibus aduerſantur. Iccirco dicebat Hippocrat. 4. acut. 39. Si purgantibus medicamentis aluum citaueris, vrina non concoquetur, febriſq; citra tum

Quæ pariat incõgrua purgatio.

ſudorem, tum iudicationem, in longum tempus protrahetur: concocti quidem debent euacuari humores illique concoquendi, ſi crudi ſint, poſteà ducendi, cum firmi, ac ſtabiles ſint. His enim concoctis natura euacuat, & cum natura vacuationem abſoluit, nulla inſuper opus eſt medicina. At ſi ipſa natura mediocriter, & ſegnius peragat, quod deeſt, medicum ſupplere decet. Sin autem humores ab vno loco, ad alium fluant, hominemque vexent purgandi, & euacuandi ſunt: nulla eorum expectata concoctione: quoniam turgent. Non eſſe igitur purgandū in acutis morbis, niſi turgeant humores, aſſerit Hippocr. & Galen. multis in locis, & 4. acut. 38. & 4. apho. 10. Medicari in valde acutis eadem die, tardare enim in talibus malum. In principijs quoque tantum morborum, in quibus ſpes eſt ægros conualituros, remedijs vtendum: in vigore autem eorundem quieſcendum, ab omnibus præſidijs eſt. Certè non ſemper humores purgandos, aut mouendos, docet Hipp. ſed duntaxat, cum turgent, vel adſit plenitudo. Nam plenitudinem prius cognoſcere debemus, & librum de plenitudine ante legendum, quàm ad venæ ſectionē, aut aliquam purgationem faciēdam deueniamus; vt ait Gale. cap. 3. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem: leuata namque eo, quo veluti ſarcina præmebatur natura, quod reliquum eſt, facilius vincet: Quare licet medicus non ſciat, ad quam

partem,

partem, a principio ſe vertat natura, & hac ratione non debeat temerè medicamentum purgans exhibere, ne operi naturæ ſit impedimento, nihilominus, purgantibus medicamentis vti aliquando eſt neceſſarium, in morborum principijs, & potiſſimum, in illis morbis, in quibus videtur, quòd adſit, uel plethora, uel cachochimia, & quòd materia in illis morbis, (ut plurimum) euadit furioſa, ac turgens, & potiſſimum, dum ſumus in aliqua conſtitutione peſtilentis morbi, ſiue mali moris, uel malè morigerati. & in his (me iudice) quam primum euacuandum, & purgandum, & cum iudicio, & ſecundum humorum infeſtantium inclinationem, & ſpeciem, ſiue qualitatem, ac redundantiam, ea omnia paranda remedia curentur, quæ ſint unicuique ſalubria: pro temperaturarum uarietate temporum, & morborum ſpecie, & conſtitutione, & ſumma cura ac diligentia incumbendum, ne quidpiam fiat, (vt antea dixi) quod ſit naturæ aduerſum, atq; inimicum, ſed quamprimum ipſam adiuuet in his, quę rectè attamen diminutè fiunt ab ea.

In principio morbi, a quib9 ſumatur purgādi indicatio.

DE VICTVS RATIONE MONSTRVOSA.

NVNC deinceps, ne lectores iratos habeam, de victus ratione ſcribere non prætermittam. vt qua fide à principio me obſtrinxi, ſine vlla fraude me tandem liberem. Manifeſtum eſt, quòd victus ratio exacta, eſt primus, & præcipuus curandi ſcopus, & victus ordinandi ratio eſt maxima pars artis, vt dicebat Galenus 11. metho. cap. 15. hæc enim præſentem ſanitatem cuſtodit amiſſam, aut remedia auxiliaq; creant, ac recuperant: ſiquidem medicina ſanitatem parare his rebus nititur. Qualis autem, & quanta, & quomodo ſit inſtituenda victus ratio, hoc ſummendum a morbi ſpecie, a morbi vigore, ac ipſius acceſſione, a viribus ægrotantis, a regione, anni, tempore, ętate, conſuetudine, exercitio, & a multis alijs. Oportet etiam, vt medicus conſideret, qui inediam ferre poſſunt, qui minus. Conſilium vero petendum eſt a Gale. in 2. de temperam. & 12. meth. c. 3. & 10. meth. c. 4. & 2. acut. tex. 30. & 2. de compo. medic. per locos de his qui ex ſtomacho caput dolent, ad eos locos ablego legendos. eſt quoque præceptum Galeni, quòd victus tenuis eſt periculoſus, in quibus non conuenit: in lon-

gis quidem morbis, ſtudemus ſeruare vires, in acutis vero, moderatè debilitatas conſeruare.

Si quis autem percunctaretur a me, quotuplex ſit victus, quo ægri vtuntur, dicam, quòd eſt quadruplex, in Galeni doctrina. Nempe tenuis, vulgaris, monſtruoſus, & moderatus. Tenuis, adhuc quadruplex, tenuis ſimpliciter, tenuis exquiſitè, tenuiſſimus, & extremè tenuiſſimus. Tenuis victus eſt, qui per pauca, aut ea, quæ parum nutriunt edulia fit, cuiuſmodi eſt ptiſanæ ſuccus, mulſa, &c. hic quidem vires comminuit, eatenus tamen, vt non exoluantur. Exquiſitè tenuis eſt, vbi ptiſanæ ſuccus, exigua ſumitur quantitate, vt Galenus primo aphoriſmorum 4. Tenuiſſimus ſimpliciter, qui per mulſam aquam fit. Extremè tenuiſſimus is eſt, qui per ſolam inediam, ad iudicationem vſque progreditur, de hoc loquitur Galenus 2. de diebus decretorijs c.11. vbi ait, cum peracutus fuerit morbus, ſtatim etiam extremi dolores adſunt, & tenuiſſimo omnium victu vtendum eſt, neque alimentum quoduis adhibueris huic, nec melicratū, aut huic ſimile. Immo ab aqua quãtum poteſt abſtinere iubeto. Et cum prohibeatur aqua, præſefert aquam nutriendi fortaſſe uim aliquã habere. Cum nihil nutriat aqua, hæc enim uirtutem, neq; ſummè imbecillitare, neque roborare quiſpiam uerè dixerit, niſi id aliquando per accidens contingat: ſiquidem non ut alimentum uires recreat, ſed benè,

Aqua dupliciter cõſideratur.

nè, ut medicamentum. eo quod corporis ventriculi arriditas irrigetur: vt diu, qui aquam biberint, durent, quàm qui nihil aſſumpſerint. & in hoc genere eſt quoq; ipſa mulſa: & cum dicatur ab aqua abſtinere innuit, nihil dare. & ita uictus extremè tenuiſſimus intelligitur: ſequitur uulgaris uictus, qui eſt tenui, & exquiſito contrarius, vt dicebat Galen. 3. de articulis tex. 55. & 3. de fracturis tex. 50.

Monſtruoſus vero victus dupliciter conſideratur, alter enim fit per ſummam inediam, quo vtebatur Eraſiſtratus.

Alter uero fit per immoderatam repletionem, quo vtebatur petronas Medicus: Moderatus autem victus erit is, qui in acutis morbis, & in omnibus a Medicis magnis, & optimis inſtituitur. vt ait Galen. primo de morbis acut. tex. 13.

Multa vero mala, & incommoda, & naturæ aduerſantia obueniunt, ſi perperam, inediam, ægrotantibus præcipimus, ut ait Galenus 2. acut. tex. 44. Nam cum intempeſtiuè ægros inedia, ſiue abſtinentia confecerimus, non reſpiciendo ad morbi ſummum vigorem, tunc in vigore ſumus coacti cibum dare: cum vel abſtinere, vel tenuius cibare, in vigore oporteat.

Duo igitur ſunt conſideranda, præcipuè in uictus ratione optima inſtituenda. nempe morbi ſummus vigor, & ægrotantis vires: quæ duo, ſi diligenter conſiderarit medicus, neque inediam, in-

tem-

tempeſtiuè imperabit, neque intempeſtiuè ęgrum enutriet, grauia autem fiunt errata, & criſes impediuntur, cum hæc duo non fuerint a bonis medicis ſeruata, & facta. ſed ad monſtruoſam potius victus rationem inclinarint. nimirum ad ſummam repletionem: qua vtebatur petronas Medicus. & maximum adferunt ſuis ægrotantibus detrimentum; qui uacuatione potius indigent, quam repletione: At ſi uiderint nonnulli vires imbecilles redditas, ut ferè ſemper apparent, in huiuſmodi febribus, tunc deſiſtunt ab optimis remedijs parandis, propter uirium imbecillitatem, & pleniorem cibum exhibent, & quædam ſua, quæ vocant alterantia, quæ ſunt magis nutrientia, & oua ſorbilia; quam ſæpiſſimè exhibent: admiror certè, ac ſtupore afficior. Arbitrantur enim vires ægra valetudine amiſſas in hunc modum recuperare, & reuocare poſſe: quinimo, & vinum quoque dant; & cęcam curationem aggrediuntur non arti, & electioni dicatam. Non eſt negandum, quòd virtus cum ſit imbecillis, ea cibandi ſcopum indicet. pariter & morbus pro ſui profligatione poſtulet præſidia. nimirum phlebotomiam, purgationem, aquam mulſam; At ſumma cura, ac diligentia, ab optimo medico, prouidendum, ne morbus, ex mala victus ratione augeatur, neque ex inedia vires ægrotantis proſternentur: & cum tres ſint intentiones, ad perfectam, & abſolutam victus rationem inſtituendã: quarum

Mõſtruoſa victus ratio.

Admiratio.

quarum altera ſumitur a quantitate ciborum, & qualitate altera, tertia a modo, ac tempore offerendi: Circa quantitatem, uires ſunt perpendendæ. in qualitate uero morbus, & eius conſtitutio qualis nam ſit, & ægrotantis temperatura: in modo uero, ac tempore, particulares acceſſiones oſtendunt. Verum, qui in libris prognoſticorum fuerit diligenter uerſatus, ac de diebus decretorijs, & de criſibus, & in arte medica longe exercitatus, hæc omnia ſi animaduerterit medicus, cognoſcere facile poterit. omnibus autem iudicationibus conſentientibus, circa uictus rationem, vnam prorſus ſpeciem conſtituemus; diſſidentibus verò inter ſe, indicationibus, quę valentiores ſint ac plures, præferemus. ita vt victus ſpecies, quam hæ præſcribant præferatur: ſumitur præterea indicatio cibi offerrendi a multis, ſed a morbo, & a viribus primum, & maximè accipitur victus indicatio: poſt hæc a reliquis, quibus condonandum inquit Hippocrates, nimirum ab ętate, a regione, & conſuetudine, & ab ęgrotantis temperatura, quę cum naturaliter ſe habeat, tuendum eſt eius temperamentum in ſimili uictus ratione, niſi ſalubrem mediocritatem excedat.

Summitur etiam a moribus, ob victum enim prauum temperati, facti ſunt intemperati, Gale. 2. de ſanit. tuen. c. 7: Idem 1. de ſan. tuen. c. 8. & 10. c. ꝙ animi mores ſequantur temperaturam corporis.

Ab

Ab aere, ut in Galeni libris videre licet. Victus quoque ratio ſumitur ab anni temporibus, & eius conſtitutionibus varijs, a regione, ab exercitio, nec non ab otio, & quiete, euacuatum enim multus ſomnus exſiccat, Galenus 2. de victu acut. tex. 2. idem 6. epid. commentar. 5. text. 31. idem 14. metho. & 6. de ſanitate tuenda, & 2. aphoriſmorum 16. victus etiam ratio ſumitur a plenitudine. Victus tenuis eſt inter remedia, quæ plenitudinem emendant per accidens. Sed nihil venæ ſectione præſtantius, vna etiam ſi conuenit purgatio: læditur autem æger, ſi ante mutationem morbi ptiſanam ſorbeat. Galenus 2. acut. text. 42. idem 2. de diff. febrium cap. 11. & multis in locis. denique ſumitur indicatio cibi offerendi a conſuetudine. Inquit Galenus 8. meth. cap. 9. Conſuetudo multum facit ad victus rationem inſtituendam. Hippoc. 2. de victu acutorum tex. 34. Cæterum cibandi conſilia duo ſunt potiſſima nimirum (vt reppetam) morbi ſummus vigor, & ægrotantis vires.

Quòd ſi quis putet, nullam eſſe futuri ſtatus morbi præcognitionem, ad victum inſtituendum neceſſariam: hic & maximam admirationem in optimis medicis efficit, nec minimam artis medicæ partem eſt aſſequutus. Cum omnem victus rationem ad morbi vigorem inſpiciens Medicus, inſtituat bonus: eadem ratione, Admiratio.

& principium morbi,& augumentum,& colligen
dæ ſunt uires cum morbi uigore. Quod ſi Hippocrates præcipiat in ipſis acceſſionibus eſſe a cibo abſtinendum, ſi per ægrotantis vires, & corporis naturam liceat, intelligendum erit: neque enim a temporibus tantum morbi,cibandi conſilia peten
da ſunt,ſed & ab ægrotantis uiribus,& ab eius tem
peramento,& a multis. Tempus enim offerendi cibi in febribus,eſt id, quod quamplurimum abſit a febris acceſſione,quando cibus exhiberi debet. id autem non in diuturnis ſolum,ſed quoq; in acutis verum eſſe videtur.expectandaque eſt declinationis morbi pars. At ſi fas non eſt, ſummum morbi incrementum, aut tenui victu,aut inedia tranſmitti,id agendum,ut homo ſtatim in prima acceſſionis inuaſione cibetur: aliquos uero,& cum inuaſura adhuc eſt, & cum incipit cibabis, ſint porro hi ſicco temperamento,& calido:aut in primo ortu, aut certè illo tempore, & viribus neceſſario imbecillis: quoccirca, aliquando in ipſo etiam morbi vigore,vbi caſus aliquis interuenerit robur naturæ diſſoluens,nutrire cogimur: quare Galenus quoſdam enutriuit (ut ait) x.meth.c.5.de prolixa hiſtoria illius iuuenis laborantis febre, propter mordicationẽ excalfacti attenuatiq; ex ſole, & inedia, & laboribus, humoris, maximũ fore illius remediũ, humidum nutrimentum putauit. quare ipſum in acceſſione, immo in acceſſionis inuaſione nutri-
uit:

uit: ſicut è diuerſo faciendum, ubi ob plenitudinem, vel phlegmonem, eſt orta febris, maximo malo eſt cibus, veruntamen in quibus conuenit cauendę morborum acceſſiones, in exhibitione cibi: neque enim cum iam adſunt, neque haud ita multo poſt affuturę ſunt acceſſiones cibus dandus eſt. ſed cum declinant, & ceſſant: quare exhibendę alimonię ſcopus eſt virtutis cuſtodia, ſed ſimul, & morbi affectio eſt contemplanda; tunc enim non eſt a ſorbitione modo, verum quoque, & maximè a potu eſt temperandum, tùm per initia, tùm per omnem morbi decurſum: & nutriendum eſt quã longiſſimè ab acceſſionis vigore, & futurę principio, quid multa? in victu inſtituendo, morbi vigor, & vires docent. virtus igitur cum imbecillis fuerit, oportet medicum conſiderare, quomodo virtus reddita ſit imbecillis, an exinanitione, an ui morbi, ac dolore. At virium imbecillitatem ex inanitione, vel ex vaſorum, quomodolibet facta euacuatione, uel per ſudorem, qui ita affecti ſunt, quam celerrimè nutriri debent. proinde huiuſmodi virium imbecillitatem medicus cognoſcere facilè debet: quòd ſi huic dietam imperabit eum grauiter lędet: ſin autem morbi acumine, ac dolore vires dilapſę videantur, in his vacuatione magis quam plenis faucibus ſalutem proponere indigemus; immo qui cibum his exhibet maximum adfert detrimentum: vt dicebat Gal. 2. acut. tex. 47.

Ignorare igitur non oportet, ſi æger ſit redditus imbecillis, ob euacuationem, uel ob dolorem, uel morbi acumen: & hoc non ſolum ob inſtituendam ſanguinis miſſionem, quæ fit per diſſectam brachij venam, uel aliunde, uel ob medicamentum purgans exhibendum, ſed etiam ob victus rationem: & pro morbi ſpecie parandam, atque inſtituendam. hoc ſolum adiungam, in curandis febribus iſtis mali moris, quòd omnibus ingenijs; putredini eſt reſiſtendum; corpora humida exſiccando, quæ vero ſicca, in his antiquum ſtatum conſeruando, at in quibus ſuperfluitates abundant, atque redundant, hæc purgando, obſtructiones foraminum aperiendo, atq; abſtergendo: indigent autem febres iſtæ medico prudenti, diligenti, & in arte medica exercitato: exercitati enim eſſe debemus in artibus: vt dicebat Galé. 9. de Hippocratis, & Platonis decretis. cap. 8. & 3. meth. ca. 7. deflectit enim ab instituto, & interdum aberrat inuitus, qui parum (vt equidem cenſeo) ſit exercitatus: vniuerſalis methódus doceri facilè poteſt: ſed exercitatio in particularibus conſiſtit: tunc enim quæ ab Hippocrate, & Galeno diuerſis in locis addidicerit, in memoriam reuocare debet: & quæ illi in medendo in ſingularibus occurrerint, obſeruare: ſic enim ſuo ægrotanti conſulere facilè poterit, & omnia diligentiſſimè, & cum iudicio parare, atque expedire; ſicut conuenit prudentiſ-

ſimo

ſimo medico, & Galeni prorſus imitatori ad unguem: qui nunquàm ad odium, (ut ipſe fatetur) neque ad gratiam alicuius loquutus eſt, præterea qui nulli hæreſi, aut ſectæ vel parti, addictus, & conſecratus fuit, ſed verax, veritatiſque amator, ſemper extitit.

Neque ego ſum aliqua opinione inflatus, quin repugnare uelim: ſi eam, vel ratio labefactabit, vel denique veritas extorquebit. Nullus enim poteſt Deo melius approximari, quàm ſtudendo in ueritate, & pro ueritate.

Ad honorem igitur omnipotentis Dei, Patris, & filij, & ſpiritus ſancti, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, ac totius curiæ cęleſtis, inchoata perfeci.

De veſicantium uſu promiſcuè in morbis omnibus, De cucurbitulis affigendis importunè, De venæ ſectionis omiſſione, De purgatione incongrua, tandem De uictus ratione.

Et in hac mea lucubratiuncula, vbiq; autorum veterum libros, & capitula, non modo in ſententia, ſed in propria verborum forma, annotanda incubui. ut ſubinde detractores ſe ipſos aliquando, (ut rabidi) mordeant, ſi quod legerint, ab illis acceptum intelligant: qui ſi benè loquuti ſunt iudicent ipſi, ſin autem aliquod diminutum reperient id mihi adſcribatur. quoniam id mea cauſa factum eſſe confiteor. nec propterea aliqua quis, afficia-

Admiratio. afficiatur admiratione. Cùm velle aliquid enunciare, & prætermittere nihil ſignum ſit, aut multæ ſtultitiæ, aut multæ promptitudinis, vt dicebat Ariſtot. in 2. cœli text. 34. neque aliquis librorum a vituperatione vituperantium, liberari facilè poteſt. Cæterum ſi minus benè dixero, ſaltem ad melius dicendum, & perfectius, & ornatius ſcribendum, alios celeberrimos, ſapientiſſimoſque viros concitabo, & iam adſunt, & in lucem editi ſunt hac de re libri, doctiſſimorum virorum, ad quos veluti ad magnos fontes, hauriendæ doctrinæ ſtudio, auidè confugiendum puto: a quibus ſuam vnuſquiſque ſitim, non modo ſedare, ſed prorſus extinguere, facilè poterit. Non ex hoc pauco gelido rore meo.

FINIS.

5262241